ACTA
COMITIALIA
HUNGARICA SOPRO-NIENSIA.


Anni M. DC. LXXXI.



Digitized by Google

Index Actorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XXXVI.

Digitized by Google

Copia

Digitized by Google



I.

Copia Literarum Hungarorum Exulantium Inclyti Regni Hungariæ Universis Statibus & Ordinibus Die 16. Junii exhibitarum, & ex Hungarica Lingva ad Verbum translatarum.

Celsissimo & Reverendissimo Principi, Excellentissimis, Illustrissimis, Reverendissimis, Admodum Reverendis, Spectabilibus, Magnificis, Generosis, Egregiis, Prudentibus ac Circumspectis Dominis N. N. Universis Inclyti Regni Hungariæ Statibus & Ordinibus &c. Dominis, Dominis Fautoribus & Amicis colendissimis.

(L.S.)(L.S.)(L.S.)(L.S.)(L.S.)(L.S.)(L.S.)(L.S.)(L.S.)

ILlustrissimis & Egregiis Dominationibus Vestris, prompta nostra cum amore servitia commendamus, & ut DEUS Illustrissimarum & Egregiarum Dominationum Vestrarum modernum conventum sanctificet, ad afflictæ gentis nostræ & Patriæ desolatæ gaudium, cordicitùs optamus. Nulli dubitamus, quin Illustrissimæ & Egregiæ Dominationes Vestræ Patriæ nostræ à tot annis durantem fletu & lacrymis dignam desolationem, & charissimæ Gentis nostræ tàm latè patentem ruinam tristi corde sentiant, quam & nos, utpotè Patriæ nostræ genuini filii, tristissimo animo & lacrymantibus oculis contuentes, optavimus, hodieque optamus, pro viribus etiam allaboravimus & adhuc allaboramus, ut in felicem statum, suasque ab omnibus Divis Regibus concessas, & Regio Diplomate confirmatas, antiquas egregias Libertates restitui queat. Quia verò DEUS Illustrissimas & Egregias Dominationes Vestras, utpotè dulcissimæ nostræ Patriæ ex tot personis constantes Ordines

Status, noſtris quoque fatigiis mediantibus, hanc Comitiorum Occaſionem, quam à multis jam annis nanciſci non potuit, jam conſequi conceſſit, quare nunc tempus eſt, ut apud Suam Majeſtatem Sacratiſſimam pro reſtituendis genti noſtræ, ſecundum ſancta ipſius Diplomata, omnigenis deque novo ſtabiliter confirmandis libertatibus allaborent, in qua Evangelica noſtra Religio nobis ante omnia & primo loco poſita eſt. Itaque confidemus, Veſtras Illuſtriſſimas & Egregias Dominationes apud Sacratiſſimam ſuam Majeſtatem negotium hoc hac ratione ad finem deducere velle, ac optare, ut nos quoque Patriæ hujus noſtræ genuinos filios agnoſcentes, mutuâ nobiſcum operâ, ad plenariam reſtitutionem ac contentationem omnium ſpiritualium & Corporalium libertatum noſtrarum, ſecundùm laudabilem antiquam, ac Juſtitiæ conformem conſuetudinem allaboraturæ ſint. His verò ſecundum Diplomata ab omnibus Divis Hungariæ Regibus conceſſa peractis, cogitent Illuſtriſſimæ & Egregiæ Dominationes Veſtræ de contentatione undique nobis vicinæ, & noſtram nationem illicò abolituræ potentiſſimæ gentis Turcicæ, à qua gente, ſecundùm DEUM, unicè quæſitus per nos favor, conſervare & tueri miſeram patriam fortè poterit. Cui ſententiæ, quicunque dulciſſimæ Patriæ futuram permanſionem puro corde & ſincerè deſiderat, ſepoſitis ob id tantùm tenuibus obſtaculis, obloqui nemo poteſt. Ament itaque & contendant etiam hoc in paſſu ad ulteriorem ejus permanſionem, & provideant eatenus de ſuæ Patriæ, de ſua, deque complurium florentiſſimorum poſterorum ſecuritate: in quo negotio nos quoque privatim & peculiariter, utpotè qui perſpeximus gentis noſtræ abſque hoc impoſſibilem permanſionem, (quanquam hactenus etiam nihil in eo à nobis intermiſſum ſit) modò nobis de Illuſtriſſimarum & Egregiarum Dominationum Veſtrarum animo & voluntate conſtet, apud Potentiſſimum Turcarum Imperatorem, pro eadem Patriæ permanſione, ulterius quoque omnibus viribus libentiſſimè annitemur: Has itaque noſtras bonas ad Patriæ ſalutem ſpectantes intentiones bono animo accipiant, utpotè ex amore erga Patriam dulciſſimam & gentem noſtram perfectas. His verò noſtris de hoc negotio perſcriptis intimationibus in vigore ſuo fortè non permanſuris, ſi Illuſtriſſimarum & Egregiarum Dominationum Veſtrarum modernis concluſionibus annuere non poterimus, apparebit ex eo, quod ob id neque ab Illuſtriſſimis & Egregiis Dominationibus Veſtris (re probè ponderatâ) neque à quoquam in Orbe Chriſtiano meritò judicari & coargui queamus, perſpectâ quippè nobis & prævisâ, ob harum rerum neglectum, patriæ noſtræ erupturis, nunc equidem latentibus, tàm internis, quàm externis ad incendium ignibus, perniciosiſſimâ & plenariâ

con-

conflagratione. Proteſtamur etiam ſuper hoc coram DEO, & ſanctis Angelis ejus, ac coram Univerſis Illuſtriſſimis & Egregiis Dominationibus Veſtris, niſi Illuſtriſſimæ & Egregiæ Dominationes Veſtræ in rebus ac negotiis ſupra memoratis, utpote pro amiſsâ ſpiritualis & Corporalis Patriæ libertatis reſtauratione, & ſecundùm undique vicinæ potentiſſimæ gentis Turcicæ contentationem futura ſecuritate, apud Sacratiſſimam ſuam Majeſtatem humilibus nixibus in præſentibus Comitiis operam ſuam ita impenderint, ut nos quoque, qui hoc fine à tot annis durans exilium & tot miſerias pertulimus, multi etiam pro chariſſimæ gentis libertate & in Religionem noſtram amore ac affectu, vitam quoque conſumſimus, in Illuſtriſſimarum & Egregiarum Dominationum Veſtrarum ad Patriæ ſalutem ſpectantibus conſtitutionibus non modò acquieſcere poſſimus, verùm etiam cum Illuſtriſſimis & Egregiis Dominationibus Veſtris pro veris Patriæ & communem cauſam foventibus filiis habeamur, & agnoſcamur; niſi hæc, inquam, ita futura ſint, majusque aliquod periculum, ruina, & ultima deſolatio Patriam hanc conſequatur (cum nunc unicè ſpatium & locus ſit, conſtanti adverſus incommoda medelæ) non nobis, ſed Illuſtriſſimis & Egregiis Dominationibus Veſtris cauſa erit imputanda. DEUS itaque Illuſtriſſimas & Egregias Dominationes Veſtras in omnibus ad ſalutem Patriæ tendentibus conatibus adjuvet, ut præſentium Comitiorum felicem eventum effectuare & conſequi valeant, ad gentis noſtræ ſtabilem permanſionem, libertatis in priſtinum ſtatim reſtitutionem, ſincero corde precamur, manentes

Illuſtrisſimarum & Egregiarum Dominationum Veſtrarum

Prompti Servi

Kapoſlii. 7. Maji. Anno 1681.

Pro DEI gloria, & Patriæ ſuæ Libertate Exulantium & in armis conſtitutorum Hungarorum Magnatum, Nobilium & Militum univerſi Ordines.

Præſentes literæ die 14. Junii Statibus per Martinum Iszdenczy, Hungarorum Exulantium Ablegatum, exhibitæ ſunt, & per Status ad Magnates, à Magnatibus verò ad **Suam Majeſtatem tranſmiſſæ, quæ Sua Majeſtas reſeravit, & 16. Junii iterum Statibus & Ordinibus remiſit, & publicè perlectæ ſunt. &c.**

Digitized by Google

II.

Literæ Missiles Excellentissimi Domini Domini Comitis Palatini Regni Hungariæ, ad Exulantes seu Malecontentos Partium Regni Hungariæ Superiorum Hungaros, ex Hungaricâ Lingvâ ad verbum translatæ.

DEUS benedicat Dominationes Vestras omnibus bonis. Ex acceptis & perlectis coram universis Nobilibus Statibus Vestrarum Dominationum literis, universim tenorem earum & argumentum intelleximus. Cùm verò eædem Dominationum Vestrarum literæ, ponderosas in se quæstiones contineant, magis necessarium, magis etiam è re esse universi judicavimus, ut Vestræ Dominationes suos ad hoc idoneos homines, certâ cum instructione huc mitterent, cum quibus eadem illa negotia tractare, & felicem eorum exitum consequi valeremus, ipsaque tandem Patria afflictissima respirare posset. Vestræ itaque Dominationes quantum fieri potest, ne differant suorum hominum huc ad nos missionem, ne fortè propter dilationem tùm Patriæ tùm Vestræ Dominationes immedicabile damnum accipiant. Hic loci in cordatis studiis & allaborationibus nihil deerit, cùm ista Comitia vel maximè etiam eum in finem Sacratissima Sua Majestas, Dominus Noster Clementissimus instituerit, ut res perturbatæ in tranquillum statum redigantur & revocentur. Et quoniam Ego quoque Clementissimi Domini Nostri Suæ Majestatis, totiusque Regni jussu in hanc onerosam stationem collocatus sum: quietâ & persuavissimâ mente sint Dominationes Vestræ, dummodò communis salutis, patriamque in extremo discrimine constitutam tranquillæ paci restituendi desiderium insitum sit cordibus Dominationum Vestrarum, & consequenter omnibus inconvenientibus, & pias intentiones præpedientibus studiis sepositis, pro sua parte maturent negotium, quod Nos quoque juxta Officii & obligationis nostræ exigentiam ita cupiamus studiosè defungi (accedente præsertim Clementissimi Domini Nostri Suæ Majestatis Sacratissimæ proclivitate & gratiositate, omniumque nostrum ardentissimo desiderio) ut DEI Optimi Maximi providentiâ annuente, hanc nostram, ad ultimam ruinam vergentem Patriam, antiquæ tranquillitati, & pacificæ permansioni reddere ac restituere queamus. Quia verò Armistitium ad finem jam decurrit, atque interea, dum istæ meæ literæ reddentur Vestris Dominationibus, & Earundem Dominationum Vestrarum ad nos mittendi homines hic aderunt, tempus illarum induciarum effluere poterit; Quare, si Dominationum

Digitized by Google

tionum Vestrarum hæc sunt vota, modò mihi de iis constare possit, illicò dabo operam, ut apud Celmentissimum Dominum nostrum, Sacratissimam Suam Majestatem memorati Armistitii prorogationem obtinere valeam, cùm ad tanti momenti quæstiones complanandas justum tempus requiratur. Interea quoque citra ullam nostram dubitationem Vestræ Dominationes hac ratione sese accommodabunt ut in tranquillitate manentes, nullam belligerandi causam daturæ sint; idem à parte Sacratissimæ suæ Majestatis Domini nostri Clementissimi exspectantes, ut videlicet nos quoquè hic loci, eò commodiùs & tranquilliùs in desiderata publica salute promovenda laborare possimus. In reliquo DEUS Vestras Dominationes sospitet in bonâ sanitate. Datum Sopronii sub Generali Regni Diæta die 17. Junij. Anno 1681.

Dominationum Vestrarum.

Benevolus Amicus

Comes Paulus Eszterhazy. Mppr.

III.

Copia Literarum Dominorum Statuum & Ordinum Regni Hungariæ, ad Exulantes Partium Regni Hungariæ Superioris Hungaros, ex Hungaricâ linguâ ad verbum translatarum.

DEUS Optimus Maximus Dominationibus Vestris, præter omnigena desiderata bona, reversionem ad Sacratissimæ Suæ Majestatis Domini Domini nostri Clementissimi fidelitatem, in tranquillationem Patriæ nostræ desolatæ tot votis desideratam, largiatur, animitùs precamur. Literas Dominationum Vestrarum, quibus de nutante & ad ultimam ruinam vergente, ac tantum non ultimam desolationem persentiscente, Sacratissimæ verò Majestatis Sacro Diademate coronati Regis nostri gratiâ pristino florenti Statui restituenda Patria, nos requisiverunt, sartas accepimus. Quoniam verò spe horum successuum pleni conventus nostris primitiis frui DEUS nos jam voluit, electo in Palatinum ac Patriæ præcipuam columnam Excellentissimo Comite ac Domino Domino Paulo Eszterhazy, cui cùm ex amore in Patriam & Vestras Dominationes, tum ex Officio id incumbat, ut sua mediatione interpositâ agitatas discordias sopiat, confidimus, Suam Excellentiam sinceram in hoc negotio cooperationem non denegaturam, super quo suummet hominem & literas Suâ Excellentia ad Vestras Dominationes expediet. Nulli dubitamus, quin Vestræ quoque Dominationes acceptâ

Suæ Excellentiæ efficaci operâ (cum qua & nostram libentissimè conjungemus) hanc diu multisque votis expectatam occasionem, absque omni tracta & mora promptissimè sint acceptaturæ. Ad quod ut Sanctum Numen Dominationum Vestrarum corda & unanimes animos adjuvet, cordicitùs optamus. Datum Sopronii 18. Junii Anno 1681.

Dominationum Vestrarum

Toti Patriæ quietem desiderantes
Benevoli & Fratres
Inclyti Regni Hungariæ Status & Ordines.

NB. Præscriptarum ambarum Literarum Missilium dorsaliter apposita Intitulatio, ex annuentia Universorum Satuum & Ordinum hæc est similiter translata:

Illustrissimis, Magnificis, Comitum, Baronum, Nobilium & Militum Exulantium Hungarorum in armis constitutorum Ordinibus &c. Suis Dominationibus.

IV.

Celsissime Comes Regni Palatine,

Domine Domine gratiosissime.

Quantum temporis sub præsentes Generalis Diætæ decursu, consumpserimus spatium, dum Celsitudini Vestræ apprimè constet, Eidem longâ rei enumeratione molestiam facessere nolumus: fatemur nihilominus pretiosi temporis decursum, eò molestiùs & dolentiùs non ferre, quod hucusque Ecclesiasticis Religionis & linguæ nostræ personis destituti, cultum DEI exercere nequiverimus. Et cum ejus simus propositi, ut conscientiis nostris, passu quoque in isto, consulamus & satisfaciamus; Celsitudinem Vestram uti post DEUM & Suam Majestatem Sacratissimam, Legum & Satutorum Patriæ supremum assertorem & columen, humiliter exoramus, dignetur eam Celsitudo Vestra, in passu legalis intentionis nostræ, inire Paterno affectu rationem, ne Personas Religionis & linguæ nostræ Ecclesiasticas nobis in cultu Divino servituras, per quospiam impediri, vimvè pati contingat; quin potiùs Authoritate Celsitudinis Vestræ Palatinali, unà nobiscum, citra injuriam, in Libertate

asseri

asseri & defendi possint. Quam Celsitudinis Vestræ gratiam perpetuis servitiis nostris demereri adnitemur.

Celsitudinis Vestræ.

humillimi Servitores
Exhibitum 20. Junij. Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici, in præsenti Diæta Sopronienſi congregati.

Ad Celsissimum Comitem Dominum Dominum Paulum Eszterhazy, Perpetuum de Frakno, Regni Hungariæ Palatinum, Sacri Romani Imperii Equitem, Judicem Cumanorum, Comitatuum Soproniensis, nec non Pest, Pilis & Zold Unitorum Supremum Comitem, Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Camerarium, Consiliarium Intimum, & per Hungariam locum tenentem.

Demissum Memoriale
Introscriptorum.

V.

Resolutio

Celsissimi Principis Palatini verbotenùs facta hæc est:

QUandoquidem in Officio meo Palatinali nec dùm benè stabilitus & firmatus essem, ob hoc id ipsum propriâ autoritate facere non possum, ne videar statim in initio suscepti mei Officii contra Clerum agere; hoc tamen statu Evangelico suaderet, ut negocium hocce Suæ Majestati repræsentet, assecuraret eundem apud Suam Majestatem desideratum sortiri effectum. Denique ipse Palatinus Neostadium se conferendo, Suæ Majestati dictam instantiam repræsentavit, quam etiam Sua Majestas admisit, dicendo: Ex quo antiquitùs in omnibus Diætis admissum fuisset Evangelicis Religionis ipsorum exercitium, proindè nec de facto ipsis denegari posse, autoritate igitur Regia nostra admittimus, consolidationis ergò, Prædicantem Evangelicum advocent, cujus opera utantur, Ipsi etiam Palatino demandavit, ut dictum Prædicantem sub protectionem suam assumat. Quâ resolutione Palatinali accepta 1. Julii devotione sacra id ipsum confirmarunt.

VI. Sup-

VI.

Supplicatio Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestati per Statum Evangelicum 22. Junij 1681. Neostadii porrecta.

Augustissime Imperator, ac Rex. Domine Domine nobis Clementissime.

SAcratissimam Cæsaream ac Regiam Majestatem Vestram benignè adhuc recordari non ambigimus, quænam Gravamina Majestati Vestræ Sacratissimæ Status Evangelicus multis injuriis in libero Religionis Evangelicæ exercitio, Publicis Regni Constitutionibus, ac Sacratissimæ Vestræ Majestatis benigno Diplomate fundato, fatigatus, cum supplici Memoriali adhuc in Anno 1662. Posonii demissè per suos Deputatos exhibuerint: humilimè tum quoque supplicando, quatenùs Majestas Vestra Sacratissima, tam præterita, ac in specie eotùm repræsentata Religionis Gravamina, authoritate suâ Regiâ clementissimè & omni meliori modo, cum satisfactione injuriatorum complanare; quàm verò illos, qui posthabitis publicis Regni Constitutionibus à prælibato Majestatis Vestræ Sacratissimæ sacro Diplomate, pro lubitu in Evangelicos grassari, liberum eorum Exercitium interturbare, ac variis artibus opprimere nihil pensi duxerunt, coërcere dignata fuisset; Verùm cum illæ res, tunc non solùm in priori turbato statu remansissent, sed & illi, sicut & eorum exemplo postmodùm complures alii turbatores Religionis, latiorem & ferè universalem miseros Evangelicos prosequendi sibi licentiam arrogassent, eò devenit afflicti Evangelici Status calamitas, ut prioris felicitatis, ac firmatæ per Constitutiones Regni, & Regium Diploma exercitii Religionis indemnitatis, vix quædam eaque saltem deformia rudera jam superesse videantur. Templa enim, Parochiæ, Gymnasia, Scholæ, Xenodochia, proventusque eò pertinentes, paucissimis exceptis, omnia minis, terriculamentis, armorum strepitu, aliisque exquisitis sub coloribus, imò inauditis institutis processibus, in quorum pacifico usu Evangelici, & Legaliter & Diplomaticè erant, viâ facti occupata, nonnulla ex illis funditus eversa, materialibus in stabula & alios prophanos usus conversis; mortui in cœmeteriis non nisi gravi taxâ exactâ sepeliri permissi; Ministri Evangelicorum, prout & Scholarum Rectores sub variis prætextibus omnibus substantiis, per nonnullos Prælatos, Magnates, Capitulares, Plebanos, Jesuitas, Confiniorum Officiales, & alterius cujusvis Conditionis homines, prout

prout & extraneam militiam emuncti, post è Parochiis pulsi, capti, compedibus stricti, extra Regnum avecti, nonnulli parietibus & humo, catenis & ferro ornati, in formam crucis alligati & affixi; alii ad instar Turcicorum captivorum percussi, alii non nisi lytro mediante dimissi, posthac reliqui unà cum aliquibus Rectoribus Scholarum, Studiosis, & miseris mendicantibus ad insolitum Jus, & quidem sub prætextu Rebellionis citati, nonnulli in exilium acti, alii ad triremes & mare missi, ubi plurimi mortui; unus etiam prævià carnificis trinariâ torturâ, vivus combustus, reliqui verò ab officiis suis, extortis ab iisdem Reversalibus, remoti, ita ut plurima sine ministris templa, populus absque ullo cultûs Divini exercitio ad instar pecudum vivere coacti fuerint, & non pauci infantium absq; lavacro sacri Baptismatis diem suum clauserint, claudantque. Nobiles ita & misera plebs, variis excogitatis sub prætextibus incaptivabantur, capti in côpedibus ad sacra ducebantur, nonnullis per vim aperto ori hostia intrudebatur, ex bonis suis uno porrecto baccello ejiciebantur; & pleræque possessiones integræ cum interfectione cujusdam Nobilis expilabantur; alii à Ministris Evangelicis copulati, vel aliter ministerio eorundem usi, ad SacrâSedem citabantur, alii verò propterea mulctabantur, & sæpè Religionem mutare vi cogebantur; ad solvendum Parochis Catholicis militari etiam executione mediante compellebantur; alii etiam Nobiles, dum in privatis ædibus ordinarias & domesticas suas ad DEUM fundebant preces, vel Sacros decantabant Psalmos, etiam per extraneæ militiæ Officiales ritu malefactorum arrestabantur, & nonnisi datâ fidejussionis cautelâ, vel extorsione lytri dimittebantur; In quibusdam Confiniis, quamvis speciales à Majestate Vestrâ Sacratissimâ de libero Religionis exercitio obtentæ fuissent Protectionales, per Officiales tamen hujusmodi locorum, Ministri Evangelici eum in finem introduci non permittebantur; Nobiles in Comitatibus nonnullis Evangelici ex Judicatûs officio omnes ejecti, undè nec ad Generalia Comitia Ablegati de medio Evangelicorum, modo solito, deputari quiverunt; In nonnullis Civitatibus, ac Oppidis Regis & privilegiatis Magistratus locorum, alibi totaliter, alibi verò nonnullis exceptis, ejecti, eoque intuitu electiones Senatûs, ac aliorum Officiorum, contra mentem Privilegiorum interturbatæ, dùm non antiquô more liberâ electione per Cives, sed per Camerarum Hungaricarum Commissarios, ac in Confiniis per eorundem Officiales peragebantur; In aliquibus Civitatibus ac Oppidis Privilegiatis & Regiis, Evangelici in suis publicis institutis consultationibus exclusi, imò tametsi Vestra Sacratissima Majestas benignas suas Regales non modò ad Senatum, sed & totam Communitatem clementissimè direxerit, attamen saltem Catholici

Digitized by Google

tholicia convocati, & ad Comitia Regni, exclusis Evangelicis, contra morem solitum, tantum ex Catholicis Ablegati missi, Evangelici utut indigenæ, in numerum Civium minimè vel difficulter recipiuntur, bona emere prohibentur; nonnullarum Civitatum Magistratus Evangelicus ad instantiam Fisci Majestatis Vestræ Regii, ex eo, quod Catholicos ad officia Civilia non adhibuerunt, licet personas civiles Catholicas ad id idoneas non habuerint, gravissimè sunt mulctati; aliarum civitatum templa cum Parochiis & Domibus Civilibus in præjudicium etiam juris Patronatus & proprietatis, Patribus Jesuitis sunt tradita, quæ iidem occupando, statutionibus se in iisdem firmarunt, Contradictionibus Civium interpositis vel suppressis, vel ad cassationem Contradictionis Cameraliter coactis. Mechanici ad insolitas Ceremonias adacti; nonnullorum Mechanicorum Privilegia vetusta ablata & dilacerata; nova ipsis in oppressionem Evangelicorum per vim imposita, unde nonnisi mutata religione in Consortium recepti. In multis locis Copulæ, Baptismata, aut Introductiones non peractæ, donec similiter religio mutata, aut spes mutationis facta; Pia Legata Evangelicorum pro conservatione liberi Exercitii ejusdem Religionis destinata, per larvatos Processus, ac subsecutam vim abstracta, contra mentem testatoris in alios usus conversa, aliaque complurima acta, quæ in specie hic exprimere eo respectû intermittere voluimus, ne Majestati Vestræ Sacratissimæ primo statim intuitu necessariâ & prolixiori deductione in immensum excrescentes paginæ fastidium parere possint; parati primo quoque tempore, summâ necessitate etiam ita adurgente, generalitatem nostram specialiùs ac fusiùs humillimè repræsentare. Quare repetitis quoque præmentionatis nostris prioribus gravaminibus, iisque adjunctis eorum supplicibus Memorialibus, ad Majestatis Vestræ Augustissimum thronum demissè denuò confugimus, per viscera misericordiæ Divinæ orantes, dignetur Clementissimè huic nostræ communi calamitati condignam medelam authoritate Regiâ, stante adhuc Diætâ, vi gratiosissimi sui Diplomatis adhibere, læsos & damnificatos in integrum restitui facere, ac turbatoribus liberi exercitii religionis juxta demerita punitis, afflictum Statum Evangelicum in pristinam ac firmam securitatem, in quâ Diplomaticè & Legaliter erant, collocare. Quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ Clementiam non solùm ardentissimis pro incolumitate Vestræ Majestatis Sacratissimæ & Augustissimæ Domus Austriacæ perennitate ad DEUM fusis precibus, verùm etiam perpetuâ fidelitatis subjectione humillimè demereri omni studio contendemus.

demus. Benignissimam quantocyus à Majestate Vestrâ Sacratissimâ præstolaturi resolutionem, tanquam

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ

24. Junii. 1681. Humillimi perpetuòque fideles Subditi, Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici. &c.

VII.

Paria Literarum Credentionalium ad Civitatem Posoniensem, ratione cujusdam Cistæ in Prætorio ejusdem Civitatis repositæ, in qua Archivæ Civitatum Tavernicalium recondita essent, Sopronium afferendæ.

Generosis, Prudentibus ac Circumspectis Dominis N. N. Judici Magistro Civium, toti denique Senatui Regiæ Liberæque Civitatis Posoniensis &c. Dominis & Amicis nobis observandissimis.

Generosi, Prudentes ac Circumspecti Domini Domini & Amici nobis Observandissimi.

Salutem cum serviciorum nostrorũ addictissima comendatione. Cùm occasione hujus Diætæ inter alios tractatus etiam Civitatum Thavernicalium Ablegati & Seniores hodie congregati, ab Illustrissimo Comite Domino Domino Emerico Erdödy de Monyorokerek, tanquam supremo Magistro Thavernicorum certas quasdam acceperint Literas, virtute quarum Sua Illustrissima Dominatio Generosum Dominum Michaëlem Kürtessy per suos speciales Ablegatos, datâ iisdem sufficienti Plenipotentiâ, pro Vice-Magistro Thavernicorum nobis præsentare dignata est. Ideò nos quoque volentes quoad fieri potest hactenùs intermissæ, ac saltem non jam oblivione sepultæ indemnitati Jurium Thavernicalium consulere, quicquid à Publicis Regni Tractatibus superfluum temporis habituri sumus, restaurationi sedis Thavernicalis cum antefatô Domino Vice Thavernicorum Magistro, impendere conabimur. Sed quia id absque Archivi nostri, negotiorumque in eodem contentorum accuratâ ruminatione feliciter in effectum deducere impossibile videtur: Exhibitores præsentium Generosos utporè Prudentes ac Circumspectos Dominos Georgium Somgy, Collegam & Ablegatum Generosarum, Prudentum & Circumspectarum Dominationum Vestrarum, Michaë-

em Stötzl Civitatis Epperiensis, nec non Franciscum Thedy, Civitatis Modrensis Ablegatos expediendos duximus, qui Cistam illam Thavernicalem in Prætorio prętitulatarum Dominationum Vestrarum repositam, hâc occasione, quâ etiam Incly ti Status Regni sua Privilegia è Conservatorio Venerabilis Capituli Posoniensis, huc per suos Ablegatos afferri curabant, simul eo tutiùs huc ad nos præmissum in finem sub sufficienti comitivâ transferre possint. Quare Dominationes Vestras Generosas, Prudentes & Circumspectas peramanter rogamus, dignentur dictis Dominis Ablegatis nostris, non solùm in negotiis nomine nostro proponendis, fidem indubitatam adhibere, verùm etiam pręmissam Cistam manibus eorum suo tempore iterum in suum locum remittendam & reponendam, assignare. Quam promptitudinem Nos omnibus reciprocis officiorum studiis demereri non sumus intermissuri. De cætero G. P. ac C. Dominationes Vestras Divinæ protectioni commendantes felicissimè valere exoptamus, permansuri semper

Earundem Generosarum, Prudentum ac Circumspectarum Dominationum Vestrarum

Soponii 24. Junij. 1681.

Amici & Servitores paratissimi Ablegati & Seniores Regiarum Liberarumque Civitatum Thavernicalium.

VIII.

Copia Literarum Venerabili Capitulo Posoniensi sonantium ac directarum Credentionales.

Reverendissime, ac Admodum Reverendi Domini in Christo Fratres & Amici Observandissimi.

SAlutem & paratissimorum officiorum nostrorum commendationem. Siquidem consueta Originalia Literarum & quorundam Diplomatum factum totius Regni concernentium, per Comitem quondam Franciscum Wesseleny quâ Regni hujus Palatinum, ad normam legum superindè conditarum, certo sub regesto & sigillis Statuum ac Ordinum Regni pro conservatione tradita, & assignata, in Sacristiâ seu Conservatorio Venerabilis Capituli Ecclesiæ earundem Dominationum Vestrarum certa in Cista comprehensâ, reposita haberentur & locata, Idcircò Reverédissimum

mum Dominum Petrum Korompay, Episcopum Vacienſem, ac Illuſtriſſimum itidem Dominum Comitem Chriſtophorum ab Erdöd &c. nec non Spectabilem ac Magnificum æquè Dominum Stephan Orban, Sacræ Cęſareæ Regiæque Majeſtatis Perſonalis præſentiæ in Judiciis Locumtenentem & Conſiliarium, Admodùm Reverendum identidem Dominum Petrum Parady, earundem Dominationum Veſtrarum Fratrem & Concanonicum, demùm Generoſum æquè Dominum Gabrielem Kapy, uti & Egregium Prudentem ac Circumſpectum ſimiliter Dominum Georgium Somogy, exigente id publicâ totius Regni neceſſitate, ac conſequenter Earundem Dominationum Veſtrarum utilitate, ex præſenti ſeſſione noſtrâ Diætali ad Eaſdem Dominationes Veſtras ablegandos duximus. Quorum verbis nomine noſtro proponendis, ut Eædem prænotatæ Dominationes fidem indubitatam adhibere, ac optato rei cum effectu Eoſdem Dominos Ablegatos Noſtros ad nos remittere velint, officiosè rogamus. Facturæ in eo Dominationes Veſtræ nobis Univerſis & Singulis rem gratam & toti Regni proficuam ac utilem. De cœtero Dominationes Veſtras Reverendiſſimam & Admodum Reverendas ſervet DEUS diu ſalvas & incolumes. Datum Sopronii ex Diætali Congregatione Noſtrâ Die 23. Junij. 1681.

Earundem prætitulatarum Dominationum Veſtrarum

In Chriſto Fratres & Amicii addictiſſimi
Univerſi Status & Ordines Inclyti Regni Hungariæ &c.

IX.

Credentionales Status Evangelici ad Celſiſſimos Principes, Patrem Emericum Epiſcopum Viennenſem, item Principem à Schwartzenburgh & Marchionem Badenſem; nec non Excellentiſſimum Comitem à Zinzendorff &c. &c. Neoſtadium penes Generoſum Dominum Thomam Heriz ſingillatim expeditarum.

Celſiſſime Princeps.

NOlumus Celſitudini Veſtræ longâ preſſurarum, oppreſſionum & noviſſimæ Univerſalis perſecutionis Religionis noſtræ in Regno Hungariæ Evangelicæ, Diplomaticè & Legaliter privilegiatæ deductione moleſti eſſe; Omnia iſta in pientiſſimum ſinum Clementiæ & Juſtitiæ

Digitized by Google

Suæ Majestatis Sacratissimæ, Regis & Domini Domini nostri Clementissimi, priora quidem Anno 1662. novissima autem sub termino præsentis Diætæ gravaminaliter humillimâ cum devotione deposuimus. Et cum ad cœlum clamantium querelarum & gravaminum nostrorum complanationem non aliundè, quàm à suâ Majestate Sacratissima, vi benigni Diplomatis assequi possimus; Celsitudinem Vestram humiliter & obsequiosè exorandam duximus, dignetur Diplomaticæ gravaminum nostrorum Complanationis apud Suam Majestatem Sacratissimam secundationem, pio in læsos & oppressos affectu gratiosè promovere: Quo in passu dùm ad sollicitationem rerum nostrarum Generosum Dominum Thomam Heritz, ad Augustissimam Aulam expediverimus, ut Celsitudo Vestra verbis ejusdem nomine nostro proponendis, fidem adhibere velit, humilliter rogamus. In reliquo Celsitudini Vestræ felicem & longævam vitam comprecantes. Datum Sopronii Die 27. Junii. 1681.

Celsitudinis Vestræ.

Servitores humiles & addictissimi Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici, ad præsentem Regni Diætam Sopronii congregati.

X.

Credentionales Status Evangelici ad Excellentissimum Dominum Paulum Hocher Aulæ Cancellarium &c. medio Generosi Domini Thomæ Heritz Neostadium transmissæ.

Excellentissime Domine.

NOn dubitamus, Excellentiam Vestram ex relatione Ablegatorum nostrorum (quibus post humilimam gravaminum nostrorum Suæ Majestati Sacratissimæ Domino Domino nostro Clementissimo præsentationem, Excellentiæ etiam Vestræ inserviendi delegata erat provincia,) intellexisse quantas pressuras, oppressiones & persecutiones Religio Evangelica superioribus retroactis temporibus, ac novissimè sub decursu Decennii in Regno Hungariæ passa sit & sustinuerit. Quo in passu dum Clementiâ & Pietate Suæ Majestatis Sacratissimæ freti, in solita Justitiæ sede, sinu, utpotè Augustissimi Imperatoris & Regis nostri Clementissimi, querelas nostras humili devotione deposuerimus, Diplomaticam exhibitorum gravaminum nostrorum Complanationem demissè supplicando,

cando; Excell. Vestram, tanquam singularem nostrum Patronum, obsequenter rogamus, dignetur apud Suam Majestatem Sacratissimam Dominum Dominum nostrum Clementissimũ, demissæ supplicationis nostræ secundationem favente affectu & patrocinio promovere. Scimus & piè credimus Suam Majestatẽ Sacratissimam tranquillationi procellarum afflictæ isti⁹ Patriæ Cæsarei & Regii animi vires terpientissimè intendere: Regnicolæ, nec postrema pars fidelium Suæ Majestatis Sacratissimæ subditorũ sum⁹, eadem cum Catholicis Statibus Libertate gaudentes, ab inæstimabili pacis & tranquillitatis thesauro, benignique Regii Diplomatis & Legum Patriarum beneficio excludi non possumus, ut habitâ gravaminum nostrorum gravissimorũ sub præsenti Diæta Authoritate Regiâ complanatione, eò alacriùs ad alios Diætales tractatus manus admovere possimus. Quâ in materiâ, dûm ad Augustissimam Aulam Generosum Dominum Thomam Heritz expediendum duxerimus, ut verbis ejusdem nomine nostro proponendis, Excellentia Vestra fidem adhibere dignetur, oramus. In reliquo Excellentiæ Vestræ felicem & longævam vitam animitùs comprecamur. Datum Sopronii Die 27. Junii. Anno 1681.

Excellentiæ Vestræ

Servitores humiles & addictissimi

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici ad præsentem Regni Diætam Sopronii congregati.

XI.

Memoriale Universorum Statuum Regni ad Suam Majestatem Sacratissimam, in quo Status Regni repræsentando benevolam oblationem Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Georgii Szecheny, Archiepiscopi Colocensis &c. ratione redemptionis Arcis Lublyo & Tredecim Oppidorum Scepusiensium à Suâ Majestate Sacratissima promotionem hujus negotii demisiè implorant.

Sacratissima Cæsarea & Regia Majestas.

Domine Domine nobis naturaliter Clementissime.

POsteaquàm Majestas Vestra Sacratissima commiserativô Regii animi sui sensu, nihil benigniùs, Solioque Regali in devovendis subjectissimo-

Digitized by Google

morum Suorum Subditorum animis digniùs, nobis verò infra scriptis universis fidelibus Statibus & Ordinibus meliùs ac utiliùs mediantibus salutaribus Propositionibus suis, benignè paterneque declarare dignata fuisset; quam causam & rationem præsentis institutæ Diætæ præcisè eam esse, ut tot malis pressum, totque hostium infestationibus turbatum, & perniciosis motibus divulsum hoc Hungariæ Regnum in tranquilliorem Statum reponi, ac consequenter Præsidiis Majestatis Vestræ Sacratissimæ omni meliori modo prospici queat & succurri. Occurrere igitur placuit salutariter & laudabiliter Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Georgio Szecheny Archi-Episcopo Colocensi (tit.) cum immortali nominis sui gloria, pro debita vel maximè erga Majestatem Vestram Sacratissimam fidelitate, & perpetua devotione, nec non insigni erga dulcem Patriam suam zelo ac amore, totiusque Regni utilitate & incremento, servitioque publico arcis Lublyo, cum universis ejusdem appertinentiis, & Tredecim Oppidis Scepusiensibus, oppignoratæ, multorum Annorum Articulis & Constitutionibus Regni superinde sancitis, signanter verò Articulis 26. 1630. 39. 1638. 72. 1647. 28. 1649. 82. 1655. Item 40. 1659. Annorum, Diplomatis Regii conditione Decimâ quintâ Anni immediatè præspecificati 1659. redimendæ Status & conditio Cupiens benevolo & spontaneo sinceroque animi sui affectu ac desiderio, salutarem Majestatis Vestræ Sacratissimæ in provisione & prospectione antelatorum Confiniorum (undè nimirùm Regnicolarum, tanquam totius Christianitatis Antemurali, pax, quies, & tranquillitas dependeret) benignè propositionis mentem secundare, parata est Sua Dominatio Illustrissima & Reverendissima nos universos ac singulos, sincerâ assecurando fide, præspecificatam Arcem, unà cum universis, ut præmissum est, appertinentiis, & dictis Tredecim Oppidis, unicè in necessitatem ac conservationem Confiniorum Partium Regni Superiorum convertendam & deputandam, proprio ære suo redimere, insuper Decem millia florenorum pro exequendâ & suò modo abeundâ commissione seu ablegatione plenariè numerare; Summam verò impignoratitiam, utpotè Octuaginta Octo millium & Octingentorum florenorum, durante præsentis Diætæ termino, defectu sine omni præstare, ac per hoc tam utile & laudabile pro Majestate Vestrâ Sacratissimâ totoque Regno servitium exhibere; dummodò benigna Vestræ Majestatis Sacratissimæ voluntas, Regia authoritas & dignitas hancce piam, fidelem, ac coram DEO, universoque Orbis Christiani Solo laudabilem & gloriosam intentionem, imò & affidationem Suæ Illustrissimæ ac Reverendissimæ Domiationis viis & modis competentibus secundare secundarique facere

Digitized by Google

cere clementisſimè dignetur. Cum itaque Clementisſime Domine ſalutaris hæc intentio, & ſpontanea ac benevola affidatio, tàm pro Solii Regii dignitate & bono Publico, quàm pro nominis ac famæ Suæ Dominationis Illuſtriſſimæ ac Reverendisſimæ gloriâ tenderet immortali, humillimè ſupplicamus Majeſtati Veſtræ Sacratisſimæ, ne dedignetur eos modos ac media dictantibus idipſum præmisſis Legibus & Conſtitutionibus Regni ſuperindè conditis, adhiberi facere, quò oblatio hæc pro conſervatione præmentionatorum Præſidiorum ac conſequenter fidelitate & fidelibus Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ ſervitiis publicique boni incremento, ac totius Regni ſolatio ſalutaliter factâ, deſideratum ſortiri posſit effectum. Quod prouti humillimè exoramus, ita etiam eandem Majeſtatem Veſtram Sacratisſimam felicem ac glorioſè regnantem & contra omnes hoſtes ſuos proſperè triumphantem diutisſimè valere & vivere cordicitùs comprecamur. Benignam præſtolaturi reſolutionem. 21. Junii 1681.

Ejusdem Sacratiſſimæ Cæſareæ & Regiæ Majeſtatis Veſtræ

Humillimi Capellani, fideleſque
& perpetuis ſubditi

Univerſi Status & Ordines Prælatorum, Magnatum & Nobilium, Liberarumque & Regiarum Civitatum Inclyti Regni Hungariæ, & Partium Eidem annexarum.

XII.

Replica Status Catholici ad Gravamina Evangelicorum facta.

Sacratisſima Cæſarea Regiaque Majeſtas, Domine Domine nobis Clementiſſime.

QUod Gravamina Auguſtanæ & Helveticæ Confeſſionibus addictorum, certô memoriali ad Majeſtatem Veſtram Sacratiſſimam directo, comprehensâ, nobiſcum benigniſſimè communicare dignata ſit, Majeſtati Veſtræ pro eo innatæ Clementiæ ſuæ argumento, humilimas

magna animi demissione gratiarum actiones deponimus. Non tamen sine justo dolore sentimus, quod illi, aliàs pars & commembra hujus afflicti Regni, inter tot nutantis, & extremorum discriminum mole, gravatæ Patriæ suæ pericula, de ineundis potiùs reducendæ optatissimæ pacis, & Regni contra ingruentem totius nominis Christiani hostem, muniendi remediis, tùm per se necessarium, tùm verò Clementissimo Majestatis Vestræ ardore, concupitam operam protinus non admoverent, quàm iterum eâ, quæ vel experimento prætcritorum temporum, communi bono, non solùm obicem & neglectum posuisse, quin & multas calamitates addidisse, satis compertum esset, reassumerent. Ne tamen exquisita ipsorum lamenta coram Majestate Vestra Sacratissima, aut alio etiam orbe Christiano (silentio duntaxat nostro) pondus acquirant, è converso autem in Statum Catholicum exercitatæ gravissimæ persecutiones & furores subiteantur, vel etiam majora incommoda, & præjudicia eidem SacroSanctæ Religioni inferantur. Ex eo nos quoque partem aliquam nostrorum & numero (si præsertim universa recensere velimus) magnitudine longè ampliorum gravaminum Majestati Vestræ Sacratissimæ humilimæ informationis loco, omni cum submissione exhibere necessitamur.

Et quidem tametsi illorum, partim adhuc in Anno Domini 1662. partim verò ab indè in præsentiarum usque, uuniversim tamen nonnisi ab Anno 1647. (quo nempè summam votorum suorum attigere) conquisita & in supplici suo generalibus terminis apposita gravamina, primâ fronte, quasi arduum & præponderosum aliquid præ se ferre videantur; si tamen à primordio prævalescentiæ prædictarum Confessionum, cum irrogatis per easdem Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Religioni Nostræ præjudiciis, legalibusque pariter & Diplomaticis contravenientiis, ac aliis inauditis injuriis conferantur, omnium sanè judicio nunquam graviora ipsis, quàm nobis, imò longè leviora, aut respectivè nulla dignoscerentur fuisse illata. Etenim posteaquam contra manifestissima gloriosissimorum quondam hujus inclyti Regni fundatorum & Regum, unanimi Regnicolarum consensu firmata statuta, utpotè S. Stephani Lib. 1. Cap. 2. & Divi Ferdinandi I. Decret. Anni 1563. Art. 31. & 32. Antea verò Anni 1548. Art. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. Item Anni 1550. Art. 12. 13. 14. Anni 1552. Art. 7. Anni 1553. Art. 7. Anni 1554. Art. 7. Anni 1556. Art. 25. 26. Anni 1557. Art. 10. tandemque Anni 1604. Art. 22. & alia passim illa conspicua, ad quam ex gentilismo conversa fuit Hungaria; Sola Romano-

mano-Catholica, veraque Christiana multô seculorum tractu felicissimè florens Religio, excitatis subindè intestinis seditionibus, armorum duntaxat potestate, neque efficiacis verbi divini prædicationis, verùm cruenti gladii, etiam à naturalibus Christiani nominis hostibus accersiti, omnia perturbari, in munere Ecclesiæ violenter occupari, cultusque Divinus à majoribus traditus & acceptus immutari occeperit; Quidni sub natis fidelibus Orthodoxæ Patriæ filiis licebat avitas suas hereditates (templa videlicet & Ecclesias) quas vetusta Privilegia, situs altarium, tituli Divorum nominibus inditi, & structuræ ad normam S. Romanæ Ecclesiæ accommodatæ, manifestissima videlicet pioris Dominii & hæreditatis signa, vivâ quasi voce contestabantur piorum olim Catholicorum manibus, auxiliis, & prægrandibus expensis fundata esse, nec nisi injuriis subsecutorum turbulentorum temporum potenter occupatas; & hactenus illegitimè detentas atque possessas extitisse, iterum vel ex dictamine communis Justitiæ (quod in proprio nemo violentus esse judicatur) rehabere, suæque pristinæ Jurisdictioni redintegrare? (sed scilicet) Leges ac Diplomata Regia in favorē ipsorum posteriùs condita, ac etiam usus diutiùs continuatus hæc fieri vetarent. Nequaquam, Augustissime Imperator, tùm quia Leges illæ violentiâ duntaxat armorum extortæ, communique universorum Ordinum assensu minimè constitutæ, quin imò eisdem tùm Legibus, tùm verò prætenso usui, vel potiùs abusui, per totum Ecclesiasticum Statum, compluresque Magnates & Nobiles Catholicos solemnissimè contradictum & reclamatum fuisset semper; tùm verò quòd Diplomaticum tantoperè allegatum fundamentum, tanquàm per ipsos manifestè violatum nîl pro ipsis militaret: Siquidem juxta tenorem Pacificationis Viennensis Anni 1606. Art. 1. (ad quem universâ etiam expost subsecuta Regia Diplomata Annorum 1622. 1638. 1647. & 1659. Conditione sexta sese semper referrent, suoque in vigore relinquerent) id per expressum conclusum fuerat, ut liberum sit in hoc Regno Religionis exercitium, *absque tamen præjudicio Catholicæ Romanæ Religionis*, & ut Clerus, templa & Ecclesiæ Catholicorum Romanorum intacta & libera permaneant, atque illa, quæ disturbiorum tempore occupata fuere, rursum iisdem restituantur: Nihilominus tamen tantum abfuit, ut restituta fuissent, quinimò in gravem conclusa ejusdem Pacificationis, exindéque subsecutorum Regiorum Diplomatum contemptum, inque ruinam multarum animarum, & totius Catholicismi apertum præjudicium, violenter occupata, violentissimè retinuissent. Hinc si ipsis contra primævum Regiorum Diplomatum fundamentum, nostra innumera templa, Scholas & Parochias turbulentissimâ vi, imò

auxiliantibus Paganorum armis occupata, retinere licuit, licebat etiam nostræ non inferiori deteriorivè conditioni vera nostra repetere, & quo placidioribus fieri potuit mediis, absque tamen Turcicorum armorum imploramentis rehabere. Sic itaque contra citatum per se Diploma delinquentes, beneficio ejusdem uti non valerent: Accedit, quòd per DEI gratiam jam alia, quàm quæ antea fuerat, sit in hoc Regno facies Religionis: antea enim quis nescit præpotentes Palatinos & Proceres ex Thurzoniana, Illyeshaziana, Priniana, Nadasdiana, Szechiana, Pattyaniana & Rakocziana, aliisque familiis, vix non majorem Regni Partem possedisse, & ad Suam Confessionem amplectendam, populum quoque & Dominia sibi subdita compulisse, unaque cum fundo sibi subjecto templa superædificata ad arbitrium disposuisse; Jam verò majori Procerum parte ad gremium nostræ Sanctæ Matris Ecclesiæ redeunte, admodumque paucis Magnatibus & Nobilibus, sed rusticana duntaxat, eaque potissimùm Catholicorum Dominorum potestati subjecta plebe, confessionum illarum reliquias recolentibus. Quæ ratio, quis rerum ordo suadebit, ut Subditorum conditio Dominorum suorum Terrestrium conditioni præferatur, templaque in fundis (in quibus rustici de lege Regni præter mercedem laboris nîl haberent) Dominorum superexstructa Coloni possideant; Domini verò & Patroni iisdem spoliati & exclusi, ad Domesticos parietes, privataque Religionis suæ munia exercenda redigantur. Imò si ad liberum Religionis exercitium templa requiruntur, hâc ipsâ ratione Domini Terrestres tanquam jurium omnium prærogativis anteferendi ab eadem templorum possidendorum Religionis libertate impediri non valebunt. Quod denique anteacto rerum Statu libebat illis, liceat etiam nobis moderno. Porrò si reliquæ sat longâ serie deductæ, variisque prætensis injuriis congestæ, imò prætextu legis ad subeundam superindè sancitam Articularem pœnam provocantes quærimoniæ considerentur, & ad has facilè responderi posset punctatim. Sed non opus est universa & singula contra nos objecta veluti partim incognita, partim longè aliis, aut nullis modis patrata, partim verò sufficientibus rationibus contrariis (quemadmodum captivationes, aliasque delictis longè mitiores pœnas, Ministri ipsorum non quâ tales, sed quâ seditiosi & publicæ quietis perturbatores, in quo nec Catholicorum ratio habeatur, subire, ac ille etiam Minister, cujus mentio fieret, tanquam incendiarius, manifestique criminis, in præsentia suæ quoque Religionis trium assessorum condemnatus, comburi meruissent) diluenda singillatim refellere: Sufficit hoc unicum excusare, quòd nos multi graviora, enormiora & crudeliora, quàm quæ contrà nos prætendun-

duntur, ab iliis perferre debuerimus, illi verò ad acta propria diluenda, vel studio iniuriam in nos conjiciunt, vel respectivè minima passi, ea quoque non nobis, ast suis in nos Sacramque Religionem nostram & ruinam Patriæ extremè commissis excessibus, sunt imputandi. Horret profectò animus, in funestum illud deformatæ patriæ theatrum (in quo à propriis illius Religionis Civibus inculti redditi agri, incolæ omni substantiâ exhausti, fumantes exustorum Oppidorum & Villarum cineres, effusus plurium secularium & DEO dicatarum personarum innocens sanguis, prophanatæ Ecclesiæ & Religio Catholica modis omnibus adinventis afflicta, spectarentur) condescendere, nisi & justo dolori aliquantisper indulgendum esset, non ut renovetur, verùm salutaribus per Majestatem Vestram Sacratissimam, tum hactenùs quæsitis, tùm verò etiam imposterum admovendis medelis, optatæ suæ sanitati restituatur. Propterea confiteri debemus, nihil in læsionem ac odium Religionis Catholicæ, ruinamque miserandæ Patriæ præconcipi potuisse, quod (vel maximè modernorum disturbiorum occasione, ac etiam antea) per Exulantes pariter, & domesticos attactarum Religionum cultores, ipsosque Prædicantes exerceri intermissum fuisset indifferenter. Tam exosa & despecta fuit nostra Religio, ut tàm in Comitatibus, quàm in liberis Civitatibus, Oppidisque ac Villis, nostras quamvis idoneas & benemeritas personas ad nulla prorsus officia applicarint, non ad cœtum artium mechanicarum, imò ne ad vilissimum servile munus, nisi abjurata priùs fide Catholica, admiserint; Vice Comites Suarum Religionum pro minima Ministris suis illata injuria in Catholicos onerosissimè processerunt, de injuriis autem vel maximis è contra illatis, nullam satisfactionem impenderint, sed ad judicia Superintendentium relegaverint, asserentes Catholicos Legum non esse capaces; Processus ratione divortii contra nostros in sede sua instituerint, suos auditores à Sacris & concionibus nostris seriò interdixerint; idololatras nos esse communi titulo proclamaverint; Superintendentes extra ditionem Vestræ Majestatis habitantes, jurisdictionem nihilominus in Ditionibus Vestræ Majestatis exercuerint; Nostros proprios suos Parochos habentes, ad solvendum suis Ministris adegerint, alioquin ex ipsis etiam campis frumenta rapuerint, ab emptione bonorum & domiciliorum inter ipsos excluserint; in matrimoniis contrahendis impediverint, contrahentes verò copulare noluerint; incæstuosa matrimonia concesserint, demortuis pulsum campanæ negaverint, nonnullorum Illustrium Familiarum & Dominorum Terrestrium magnam partem Comitatus possidentium, & plurium sepulturarum loca habentium, demortuos cum ceremoniis Catholicis sepelire

 arma-

armatâ manu obſiſtendo, non permiſerint; aliarum magni ſtemmatis Familiarum corpora effoderint, capitibusque privata, & precioſis veſtimentis denudata, foras ejecerint; exitioſiſſimas Rebelliones, tùm in proprios Dominos, tùm etiam alios Catholicos in communi correptis armis concitaverint; Judices Comitatuum, & Teſtimonia Capitulorum, Regiosque homines, publicis in negotiis procedentes turpiſſimis convitiis invaſerint, & homines ſecuritatis gratiâ penes deſtinatos trajecerint, interemerint; alii etiam Commiſſarii Veſtræ Majeſtatis in Commiſſionibus ſuis armatâ manu impediti; alii Officiales Majeſtatis Veſtræ duriſſimis verberib⁹ cruciati, temporeque hyemali aliquot milliaribus ſeminudi educti, & equis alligati, viribusque omnibus deſtituti, penes equos tracti, in publica via ad partes diſſecti, ad notabilem Religionis noſtræ deſpectum, frontibus eorum cruces inſciſſæ, & ſic in prædam canum & beſtiarum relicti; contra Militem Veſtræ Majeſtatis pacificè proficiſcentem, audita ſola fama, hoſtilia vexilla erecta, auxilia Turcica per paucos etiam ante menſes contra Plebanos Catholicos implorata; Nobiles barba, myſtacibus & capillis abraſis ludibrio expoſiti, nonnullis lingua abſciſſa; alii in Caſtellis & curiis Nobilitaribus propriis comprehenſi, inde in captivitatem, & partes Turcicas abducti, duriſſimis verberum & vulnerum plagis affecti, neque aliter niſi poſt longos carcerum ſqualores, magno lytro dimiſſi, multi verò (inter quos etiam Barones) crudeli mortis genere, variisque adhibitis torturis interempti; plurima Oppida, Villæque ſuccenſæ, ubi partim igne, partim ferro multa centena hominum conſumpta fuere. Nondùm hiſce ſatiabatur inexplebilis perſequendi ſitis, ſed in Eccleſiaſticas Religioſas perſonas longè ardentius exæſtuavit; hinc Parochorum ſubſtantię expilatæ, multi quibusvis excogitatis ignominiis, irriſionibus traducti; alii graviſſimè verberati, vulnerati, contuſi, alii captivati, grandique lytro dimiſſi; alii penes equos rigidiſſimâ hyeme in ſolo induſio raptati; alii nudo corpore hinc indè per Villas circumducti; Alii cum ſummo & mundi ſcandalo totaliter denudati, per plateas Civitatum, alligatis (pudor vetat dicere, ſed res exigit) ad naturalia ſemicentenariis lapidibus, circumducti, & lupina pelle ad deriſum nudo religioſi corpori, ad modum militis appenſa, duris ſcuticarum ictibus ad ſaltandum, ignesque tranſiliendos adacti; alii nudi in urticis, ſpinis & tribulis volutati; alii in puteos injecti, alii clorati, aliis ferrei clavi veluti equis in pedes & manus incuſſi; alii ad partes Turcicas abducti & venundati; alii ſub patibulum educti, ibique more carnificum laniati, alii ſclopis trajecti, neque ſepeliri permiſſi; alii in ſuis cubiculis trucidati, alii decapitati, alii gladiis transfixi, alii igne cremati,

inter

Digitized by Google

interque cætera, quidam Parochus Catholicus captus, funibus lorisque colligatus, ad Ecclesiam ductus, disſecto ibidem altari, partes disſectas ulnis suis alligatas tenere debebat, eousque, donec per prædicantem longâ, contra cultum imaginum & Sanctorum, scommaticâ & maledictoriâ supra caput ejus peractâ Concione, ad publicum forum eductus est, succensisque exportati dicti altaris partibus, injectus, posteà septem vulneribus capiti inflictis, extra portam Oppidi per capillos extractus, tandemque aliquot scloporum globis in pectus explosis, semivivus in effossam scrobem injectus, atque terrâ obrutus fuit; alii denique per venenum, alii tabacâ in dorso scissâ, fronteque in arborem impactâ; alii aliis quibusvis inexcogitabilibus modis cruciati, ad mortemque tristissimam adacti. Neque in his conquievit efferata rabies, virusque in odium Religionis intumescens, sed in aras, ædesque sacras omni horrore grassabatur, campanæ ex turribus dejectæ, perfracta templa, & suppellectilia deprædata, altaria confracta, Sacra vestimenta & apparamenta despoliata, calices (imò sese iisdem ingurgitantes) prophanati, casulæ & antipendia in ludibrium induta, asportata, ex cibariis venerabile Sacramentum Eucharistiæ hinc indè dispersum, pedibusque conculcatum; alibi particulæ nondùm consecratæ equis ad vorandum datæ, Sanctorum reliquiæ disjectæ, nomen Sanctissimæ Matris DEI blasphemiis proscissum, icones verò ejusdem, aliorumque Sanctorum, ac ipsius Domini Cruci affixi disſectæ, exoculatæ, denasatæ, cæterisque membris mutilatæ, & capite detruncatæ, effigies Crucifixi in veru ad ignem assata, Sacra Missa in vestibus larvatis decantata, publicæ Processiones (Sacerdote cum venerabili procedente, invasô, & per lutum fimumque hinc indè raptatô) violenter interturbatæ, calumniosissimi libri & scripta in nos evulgata; Sacra denique Religio Catholica adeò exterminata & attenuata, ut in Comitatu Lyptoviensi, nonnisi duo Catholicorum, illorum verò 46. reperiantur Ecclesiæ. In Szatthmariensi & Szabolczensi præter fortalitia Szatthmar, Ecset, Beszermeny, ne nomen Sacerdotis audiatur, templum nullum possideatur. In Zempliniensi, Unghariensi, Bereghiensi, Ugocsensi & Abbaujvariensi Comitatibus, Sacerdotes vix aliqui, Prædicantes multi. In Scepusiensi, Tornensi, Gömöriensi, præter Civitates Liberas, & pauca Oppida, Parochi rari (qui etiam non nisi in dumetis, aliisque occultis latebris delitescunt, & cum periculo vitæ curam fidelium habere possunt) Prædicantes verò clàm & palàm plures, stante etiam præsenti Diæta, publicè introducti; Par ratio esset, in nonnullis Comitatibus Cis-Danubianis, utpotè Weszprimiensi, exceptis Confiniis, in pagis Parochi duo, prædicantes autem Centum. In Szaladiensi exceptis Confiniis, & Insula Muraköz, Parochi quinque, Prædi-

can-

cantes sedecim. In Sümöghiensi Parochus nullus, Prædicantes circiter Gentum. In Baraniensi Parochus nullus, Prædicantes circiter Quadraginta. Nonnulli recenter contra expressa & benevola suæ transactionis puncta, Ecclesias violenter occupare, apparamentaque vendere, distrahere, & inter sese dividere, nihil pensi duxerunt.

Refugit calamus infelici Patriæ, nostroque Sacro-Sancto cultui tantâ immanitate irrogatis (quæ non in paginas, sed & Codices integros referri possent) ulteriùs recensendis immorari, nolentes Vestræ quoque Majestati Sacratissimæ tantis hujus, aliorumque Regnorum suorum curis intentæ, longiorem afferre molestiam. Cùm itaque præmissa humillimè repræsentata, & si necessum fuerit, tàm uberius declaranda, quàm verò etiam comprobanda gravamina nostra longè plura, modisque omnibus graviora & ponderosiora existant; idcircò Majestati Vestræ Sacratissimæ, tanquàm Christianissimo Imperatori, Regique Apostolico, & Domino nostro Clementissimo humillimè supplicamus, quatenus benignos Paternæ Providentiæ Suæ oculos in nos convertere, ac tantoperè injuriatis, afflictis & damnificatis debitam satisfactionem impertiri dignetur Clementissimè in gratiam & benignitatem Majestatis Vestræ Sacratissimæ nosmet humillimè submittentes

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Devotissimi Capellani, ac humillimi & fidelissimi Subditi,

Universi Status & Ordines Prælatorum, Baronum, Magnatum, Nobilium & Liberarum Civitatum Regni Hungariæ, Partiumque Eidem annexarum Catholici.

D. 27. Julii ad iteratas instantias Status Evangelici, Dominus Palatinus hanc replicam Catholicorum, ad exhibita Gravamina Evangelicorum factam, dicto Statui Evangelico exhibuit. &c.

XIII. Ite-

XIII.

Iterata Replica Status Evangelici, ad immediatè præmissam Replicam Status Catholici Suæ Majestati porrectam, prout Eadem similiter Suæ Majestati exhibita & præsentata est.

Sacratisſima Cæſarea Regiaq; Majeſtas, Domine, Domine nobis naturaliter Clementisſime.

FIdelitatis perpetuóque fidelium ſervitiorum noſtrorum in Gratiam Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ humilimam ſubjectionem.

Sex jam excurrunt Septimanæ, quod Majeſtati Veſtræ Sacratisſimæ demiſſum ac lamentabilem noſtrum ſupplicem Libellum, gravaminum ſcilicet Evangelicæ Religionis perpeſſarum & exantlatarum turbationum & perſecutionum molem, in generalitate repræſentatam, demiſsè exhibuerimus, ac medio ejuſdem complanationem eorundem, ſtante adhuc hac Diætâ, authoritate Regiâ Diplomaticè fiendam, prout & de futuro ſecuritatem, humilimâ ſubmisſione imploraverimus; ſperantes, quòd ſicuti Majeſtas Veſtra Sacratisſima univerſos Suos Status particulariter, tàm Paternâ admonitione orali, quàm in ſcriptis contentâ benignâ intimatione, clementer adhortari dignata eſt, quatenùs Tractatus Diætales ita admaturare nitantur, ne per hos tempus inaniter protrahatur, ac optatus iisdem imponendus finis, per longiorem moram retardetur: ita nos quoque quantocyus Clementisſimam Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ reſolutionem ſimus recepturi. Sed cùm in dies videremus rem differri, voluimus iterùm alterô noſtrô demiſſô Memoriali (cujus copiam Excellentisſimis Dominis Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ Commiſſariis repræſentavimus,) pro obtinendâ Eadem benignâ Reſolutione, Clementiæ Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ pulſare oſtium. Quia verò ea fuiſſet benigna voluntas Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ, ut gravamina noſtra fidelibus ſuis in Statu Catholico exiſtentibus communicentur, innotuiſſetque nobis, eundem Statum Catholicum in contexenda Replica ſua occupatum eſſe, noluimus Majeſtati Veſtræ Sacratisſimæ conſcripti ejuſdem noſtri ſupplicis Libelli exhibitione tantisper importuni eſſe. Nunc itaque receptâ antelati Status Catholici Replicâ, juſtus

ſtus dolor nos continere non potuit, quin tantas perſecutiones & oppresſiones pasſi, ac nihilominùs tot perpetratorum malorum, illatarumque injuriarum acculati, innocentiæ integritatem, ſimul & cauſæ noſtræ æquitatem (ne per ſilentium præmiſſorum in nos conjectorum criminum Rei videamur) coram Majeſtate Veſtrâ Sacratisſimâ, ac totô Orbe Chriſtianô (ad quem etiam Status Catholicus in ſuâ Replicâ provocaret) humilimè demonſtraremus.

Ac imprimis maximò noſtrô præjudiciô id accidit, quòd licet Majeſtas Veſtra Sacratisſima, titulô Status Evangelici, juxta tenorem etiam poſitivarum Legum, nos clementer dignaretur: Status tamen Catholicus eundem titulum in derogamen & contemptum noſtri denegaret. Non abſimiliter & hoc, ubi ſtatim ad initium præmiſſę Replicę expreſſè poneret: *Se non ſine juſto dolore ſentire, quod nos aliàs pars & commembrum afflicti hujus Regni inter tot nutantis, & extremorum diſcriminum mole gravatæ Patriæ pericula, ſemotis animorum diſſenſionibus de ineundis potiùs reducendæ optatisſimæ pacis, & Regni contra ingruentem totius nominis Chriſtiani hoſtem muniendi remediis, tum per ſe neceſſariam, tùm verò Clementisſimo Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ ardore concupitam operam protinùs non admoveremus: imò & præteritorum annorum temporibus, communi bono non ſolùm obicem & neglectum poſuiſſemus, quin & multas calamitates addidiſſemus, & nunc etiam easdem reaſſumere vellemus;* ac per hoc retardationis boni publici incuſaremur. Clementisſime Domine, an nos afflicti, extremè injuriati, atque ruinati fideles Majeſtatis Veſtrę Sacratisſimę ſubditi, ex eo, quòd confugiendo ad Eandem Majeſtatem Veſtram Sacratisſimam, tanquam Summum in terris aſylum & Juſtitiarium noſtrum, Status, Religionisque noſtrę in integrum reſtitutionem & redintegrationem imploremus, uniceque poſt DEUM à Majeſtate Veſtrâ Sacratisſimâ hoc remedium humilimè pręſtolemur, retardatores & turbatores publicorum tractatuum dici mereamur? altisſimo Ejusdem Majeſtatis Veſtrę Sacratisſimę ſubmittimus judicio. Cùm nos in concinnandô Memoriali Noſtrô Veſtrę Majeſtati Sacratisſimę humilimè jam exhibitô, vix trium horarum ſpatii tempus aliis publicis negotiis deſtinatum inſumpſiſſemus, ac etiam nihil novi intenteremus, verùm complanationem talem demisſè expeteramus, quam ad aſſerendam Majeſtatis Veſtrę Sacratisſimę Regiam authoritatem, & tranquilliorem permanſionem Regni, bonumque pacis vergere, Pacificatio Lyncenſis Diplomate Majeſtatis Veſtræ Sacratisſimæ Regiô confirmata, ac idem quoque Diploma Conditione Sextâ, nec non Articulus 6. Anni 1647. per expresſisſima verba: *Recordari Status & Ordines Regni, quantæ fuerint inter*

Regni-

Regnicolas ratione occupationis templorum dissensiones, quæ ut præcaveantur, discordiarumque Civilium fomes extingvatur, ac Regnicolæ pace, & concordiâ mutuâ potiùs fruantur, &c. testatum redderent.

Præmissa tamen summè præjudiciosa, & injuriosa, quantùm miramur, tantùm exhorrescim' ad id, quòd occupationes templorū, & alios similes illegales actus Status Catholicus se bono jure fecisse allegaret, inque favorem & fulcimentum sui diversas (Novellis tamen constitutionibus, subsecutisque expost Regiis Diplomatibus, cassatas, antiquatas & abrogatas) Leges induceret, quæ quia tenderent in manifestam Sacrorum Majestatis Vestræ Sacratissimæ, ac Gloriosorum Ejusdem Prædecessorum Diplomatum, Legumque Patriarum labefactationem; pugnaret præterea cum Jure Gentium, inferret convulsionem omnium pactorum, essentque in libro, cui Titulus: *De pace Sacri Romani Imperii licita demonstrata*, solidè jam discussa, ideò prolixiori refutatione hoc in passu Majestati Vestræ Sacratissimæ onerosi esse noluimus. Id tamen silentiô prætereire non possumus, quòd Religionem Evangelicam, *excitatis infestinis seditionibus, armorum duntaxat potestate, neque efficacis verbi divini prædicatione, verùm cruentô gladiô etiam à naturalibus Christiani nominis hostibus accersitô, originem & propagationem sumpsisse*, Status Catholicus summè præjudiciosè asserat, cùm tamen contrarium testentur præteritorum temporum historiæ. Constaret siquidem proximè elapsô seculô, Religionem Evangelicam solâ verbi DEI prædicatione, nullis armis, aut aliis quibusvis violentis mediis propagatam extitisse; sed maximè sub initium hujus seculi, dùm variis excogitatis viis atque modis communis Libertas Patriæ in secularibus (uti patet etiam ex Pacificatione Viennensi) per nonnullos Catholicos Patriæ Cives læsa fuisset; prodiisse quoque materiam turbatæ Religionis Evangelicæ. Undè apparet, propagationem ejusdem non posse armis, & quidem Turcicis adscribi, adeoque ante eadem tempora Prædecessoribus nostris tàm secularibus, quàm etiam pluribus Ecclesiasticis personis per prædicationem verbi divini fidem Evangelicam spontè & liberè amplectentibus, templa præ manibus ipsorum, tanquam legitimorum possessorum & hæredum remansisse: ex post verò turbatione in iisdem, ac motuum illorum sedatione interveni-entibus, virtute Diplomatum Regiorum, conditorum superindè Articulorum, in Dominio eorundem confirmationem obtinuisse. Quibus ex rationibus rueret annexa etiam inductio ex Regula Juris: *Quod in proprio nemo esset violentus.*

Porrò in evidentem Majestatis Vestræ Sacratissimæ, Ejusdemque piæ reminiscentiæ Prædecessorum authoritatis læsionem, pergit affirmare Sta-

se Status Catholicus, Leges & Diplomata nobis deservientia vi & armis extorta fuisse; cùm nec tempore felicis inaugurationis Majestatis Vestræ Sacratissimæ, sed nec in Anno 1659, tempore nimirùm insertionis Sacri Diplomatis actis publicis factæ, ullum tunc constet fuisse bellum. Contrarium etiam testantur Sacra Diplomata Gloriosorum olim Matthiæ, Secundi, & Ferdinandi Tertii Majestatis Vestræ Sacratissimæ Progenitoris felicissimę recordationis, dùm non aliquô metu perculsas Easdem Majestates, verùm *pro pio Paternoque affectu ad humillimas Fidelium suorum Supplicationes*, pacem conclusam fuisse: imò ipsemet etiam Status Catholicus iisdem vigorem attribuit, dùm in aliis Causis Politicis omnes suas reflexiones unicè ad Conditiones toties memoratorum Diplomatum & Articulorum habet; quod vel recentissimè in Supplicatione candidandi, obtentique Domini Comitis Palatini, per omnes Status & Ordines Regni usurpatum extitisset.

Contradictio quoque Cleri nihil suffragatur Statui Catholico, namque eandem tàm Articulus 5. Anni 1647. Sanctô itidem verbô Regiô confirmatus, in §. *Contradictionibus Dominorum Cleri & aliorum quorumvis secularium Catholicorum non obstantibus, imò iisdem in perpetuum nullum vigorem habentibus &c.* quàm reliqui Status & Ordines Regni, accedente authoritate & consensu Regio cassarunt & annihilarunt.

Arguimur insuper Evangelici, quasi contraveniendo Pacificationi Viennensi, certa templa Statui Catholico non restituerimus, ac proindè violatis Conditionibus, beneficio Diplomatis uti non possimus. Ast Clementissime Imperator, datô, nunquam tamen admissô, vigore Pacificationis Viennensis aliqua templa Statui Catholico, uti prætenderent (quod tamen ex suprascriptis rationibus secùs se habere demonstratum) vi adempta, in rationem eorundem per nos, vel prædecessores nostros restitui debuissent: tamen per prætensam omissam restitutionem, non Diplomatis vigor amissus, sed Catholici talia templa (ni alia infra declaranda impedimenda obstitissent) pro se rehabenda subsequenti Diætâ urgere potuissent. Neque sufficeret casu in præmisso Statui Catholico nudè hæc asserere, verùm etiam comprobare. Et siquidem in Articulo 1. Anni 1608. ante Coronationem edito, nulla restitutionis templorum mentio haberetur, quin potius in Annis 1647. & 1649. vigore eotùm conditarum Legum, Diplomatisque Regii, templis universis attunc per Evangelicos adhuc possessis, penes eos relictis, alia insuper nonaginta templa fuère restituta; quomodo non-restitutionis culpa nobis adscribi potest. Cumque insuper virtute ejusdem Diplomatis Regii & Articuli 6. Anni 1647. ulterior templorum occupatio absolutè vetita fuis-

set

fet: ideò ratio ex prædictato Articulo Pacificationis Viennensis desumpta, Statui Catholico neutiquam deservire potest.

Quantùm ad augmentationem allegatam, novimus equidem pro moderno rerum Statu in Regno Hungariæ Catholicæ Religionis qualis sit facies: si tamen, Augustissime Imperator, accurata disquisitio institueretur, Status Catholicus quibus viis ac mediis hanc augmentationem fuerit consecutus, facilè demonstrari posset: Sed quia exempla odiosa forent (cùm & aliàs modus agendi Dominorum Catholicorum hoc in passu Majestati Vestræ Sacratissimæ in priori demissô Memoriali nostrô humilimè sit repræsentatus: (ab eorum enumeratione spontè supersedemus. Illud tamen subticere non possumus, quòd etiam de præsenti præter plebem, Nobilitas, civitatum & Oppidorum Incolæ, sicut & Confiniarii longè plures in hoc Regno reperiantur, penes fidelitatem Majestatis Vestræ Sacratissimæ pro Patria excubantes, ac Christiani nominis hosti sese opponentes Evangelici, ut, si ratio sit ineunda â pluralitate, & prædictum hostem reprimentibus viribus, eatenùs quoque appareret copiosior Evangelicorum numerus.

Deindè quòd templa in fundis Dominorum Terrestrium ædificata, non competere rusticis, subditis prætenderetur, apparet Statum Catholicum vel oblivione, vel datâ operâ præteriisse Tractatus illius Tyrnaviensis Anni 1646. continentias, ubi omnes hujusmodi simili in materia obortæ quæstiones, ipsô Diætę Anni 1647. tempore, informatione Status Catholici copiosis rationibus Suæ Majestati Sacratissimæ repræsentatâ, diligentissimè excussæ, examinatæ, tandem §. *Diversis hactenùs impedimentis & interpretationibus non obstantibus &c.* Sacro Diplomati Lyncensi inserto, annihilatæ & abolitæ essent; id quod etiam ex Diplomate Matthiæ Secundi tùm Archi-Ducis, post verò Regis Hungariæ, & Majestatis Vestræ Sacratissimæ Prædecessoris felicis reminiscentiæ interpretatorio, in Archivo Regni sub N. 8. & Litera H. existente, clarum evaderet: taliterque templorum occupatio generaliter ad omnes Dominos Terrestres, & consequenter Fiscum quoque Regium extensa, Lege vetaretur, neque per eosdem sub titulo liberi exercitii Religionis ipsorum, Evangelicorum templa, Parochias, Scholas & id genus alia, subsecutis etiam Regiis Diplomatibus, occupare integrum fuisset. Undè idem Status Catholicus conclusionem hanc: *quod Evangelicis licuit, licitum fuisset etiam Catholicis*, invalidè inferret, tùm ex rationibus præmissis, tùm ex eô, quòd diversa sit ratio temporum, quæ præcesserunt Sacra Regum Diplomata, & modernorum Diplomaticè jam circumscriptorum.

Condescendit ex post Status Catholicus præter occupationem tem-

 plo-

plorum, ad alios actus per ipsummet in nos Evangelicos exercitos, inque Memoriali nostro Vestræ Majestati Sacratissimæ humilimè præsentatô uberius declaratos, eosdem partim negando, partim verò justo quasi juris titulo factos affirmando, taliterque Ministrorum Evangelicorum persecutiones per Delegata Judicia sub prætextu Rebellionis aggravationes, ejectiones, & postmodùm ad triremes relegationes, imò unius etiam combustionem defendere satagendo: Verùm, Clementissime Imperator, quod omnia illa, quæ Vestræ Majestati Sacratissimæ in generalitate medio Supplicis Libelli, demissâ animi subjectione per nos repræsentata sunt, firmissimâ nitantur veritate, quodve Evangelici Ministri, prætextu quidem Rebellionis, ad insolitum Jus citati, ab omni tamen labe fœdæ Rebellionis puri & immunes, præmissas diras persecutiones perpessi, nedum morte, verùm nec illis, quas Status Catholicus mitiores dicit, pœnis digni extiterint; quòd denique idem Minister Evangelicus citra omne objectum quidem, minus tamen comprobatum incendiarii delictum fuerit combustus, parati sumus coram Regni Statibus, stante hâc Diætâ, comprobare.

Ulteriùs non sine gravi animi sensu, cordisque dolore intelligimus, Statum Catholicum asserere, se multò graviora, enormiora & crudeliora à nobis in puncto Religionis pertulisse; Cum luce meridianâ clarius appareat, nobis omnia templa, Scholas, Parochias, & alia in priori nostrô demissô Memoriali Vestræ Majestati Sacratissimæ humilimè præsentatô, declarata, tàm à proximo decênio, quàm ante adempta, Ministros exturbatos, nosq; exercitiô Religionis nostræ exutos fuisse; quomodo quidpiam simile Catholico Statui per nos evenisse, vel cogitari quidem, tantò minus dici potest. Sed ut quoad alia nobis incognita, imò neque unquam cogitata, ac non nisi ex modernâ eorundem Replicâ intellecta, Status Catholici objecta, nostra innocentia aliàs per se clara, eò evidentior reddatur, non refugimus, ut quicunque nostrum Statui Catholico contra Diplomata Regia, & manifestissimas Leges injurias intulisset, authoritate Regiâ puniantur. Miramur autem Statum Catholicum eò deflexisse, ut aliena (si quæ essent) facinora, nobis Majestatis Vestræ Sacratissimæ fidelibus imputare nihil pensi ducat, cùm tamen nos diversos in Nobilitatem excessus, expilationes Pagorum, Arcis, Oppidorum, Castellorum, ad innocentissimos Evangelicos pertinentium, aliaque enormia facta Patrûm Matthiæ Hirco, Casparis & Nicolai Paulinorum, aliorumque Ecclesiasticorum passu in isto designata, toti Statui Catholico adscribere noluerimus.

Quibus modo prævio in ordine Replicæ seu Memorialis Status Catho-

Digitized by Google

tholici Majeſtati Veſtræ Sacratiſſimæ exhibiti, humilimè & breviter repræſentatis, quod in tractatum quempiam cum Dominis Catholicis condeſcendere, certasque è medio noſtri, ex intimatione Excellentiſſimorum Dominorum tàm Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ Commiſſariorum, quàm verò Comitis Palatini, nomine Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ factâ, perſonas eum in finem denominare nequeamus, ſequentes nos excuſarent rationes:

Ac imprimis terrent nos acta Anni 1647. eorum enim vigore Sacri Diplomatis Regii quadringenta plùs minus templa Evangelicis reſtituenda fuiſſent, verum Prædeceſſores noſtri ad ſimilem tractatum condeſcendendo, dum ab eodem poſtmodùm ſe eatenus inconſideratè feciſſe, ſerò animadvertentes reſilire voluiſſent, recedere non permiſſi, eò res devenit, ut ex tot templis nonaginta ſolùm reſtitui promiſſa ſint, & neque ea ſtatim completè reſtituta & aſſignata fuere. Conſtat etiam, quòd cum per Dominos Commiſſarios Statui Catholico intimatum fuiſſet, & ad præinſinuatum tractatum certos è medio ſui denominaret, ex tunc Clerus hujusmodi denominationi (antequam etiam nobis Evangelicis fuiſſet intimatum) conſentire noluit, imò eidem, tentandoqe ulterius tractatui contradixit; Quia verò Clerus indè ab initio ſemper (prout etiam ex Replica Status Catholici appareret) prætenſas ſuas contradictiones contra nos, jusque noſtrum etiam Diplomaticum obvertiſſet, obverteretque, ideò nullus optatus finis hujus tractatûs, nulla ſtabilitas aut ſecuritas, verùm pretioſi temporis inanis jactura ſperanda foret. Demùm quia natura tractatûs, ſeu amicabilis compoſitionis ſecum ferret, quòd in ſimilibus à ſummo jure recedi debeat: Jus autem noſtrum eſſet Sacrum Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ Diploma, à quo recedere, & in aliquem præjudicioſum tractatum nos immittere non eſſet integrum. Quare repræſentatis præmiſſis rationibus, quarum intuitu in aliquem tractatum noſmet ut præmiſſum immittere non poſſumus, Gravaminibus etiam Status Catholici, & in favorem ejusdem adductis argumentis, jam pridem in prioribus Diætis ſat luculenter dilutis, imò etiam Diplomaticè ſublatis, ad Auguſtiſſimos Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ pedes ſupplices provoluti, Eandem denuò per viſcera miſericordiæ DEI oramus, dignetur ex authoritate Suâ Regiâ, in quam ſpem noſtram poſt DEUM unicè conjecimus, noſtra gravamina ad mentem Diplomatis Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ cum ſatisfactione injuriatorum benigniſſimè complanari, ac in præmiſſis punitis contravenientibus, nos in integrum reſtitui facere, inque firmam & ſtabilem ſecuritatem, ſtante adhuc præſenti Diætâ, benigniſſimè collocare. Quam Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ Clemen-

mentiam, æternâ fidelitate nostra, pro felici & Augustissimô Majestatis Vestræ Sacratissimę Imperiô jugiter DEUM exorantes demereri contendemus. Benignam præstolantes resolutionem

Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Humilimi perpetuoque fideles Subditi
Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

XIV.

Supplicatio Universorum Statuum & Ordinum Regni Hungariæ ad Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine nobis naturaliter Clementissime.

POsteaquam benignam *Majestatis Vestræ Sacratissimæ*, mediante Excellentissimo Domino Comite Regni Hungariæ modernô Palatinô, tanquam intermediatorę nostro, intuitu humilimæ Supplicationis nostræ, Eidem Majestati Vestræ Sacratissimæ submissâ animorum nostrorum devotione repræsentatæ, non modò Clementem Ejusdem oblationem, imò etiam pientissimam resolutionem, in eô videlicet, quod Eadem Majestas Vestra Sacratissima, tàm Accisarum & Repartitionis executionem, quàm diversarum aliarum variis sub coloribus, & excogitatis prætextibus, pensionum, taxarum, contributionum, vecturarum, hisque similium inexplicabilium onerum adinventam exactionem; tàm moderno Inclytæ Cameræ Scepusiensis Administratori, quàm etiam aliis, quorum interest, Officialibus suis bellicis, passim in Regno Hungariæ jam totaliter ruinato, inconsolabili igne ferroque devastato, constitutis, non tantum Clementer inhibitam fore intimari, verùm sub amissione quoque officiorum nequaquam ampliùs exercendam, ac contra benignam suam intentionem & mentem, ullo sub colore aut prætextu deinceps extorquendam; excessus item quos libet & insolentias imposterùm evitandas, Clementer demandari, benignissima Mandata, seu Decreta sua eum in finem ad loca debita dirigi ac transmitti facere dignata fuerit, demississimè intellexissemus: Universi & singuli nostrum ob id ineffabili afflictorum animorum, & cordium nostrorum solatio, gaudio, & lætitia perfusi, principalibus nostris paternam hanc Majestatis Vestræ Sacratissimæ reso-

Digitized by Google

folutionem & fimul commiffionem, pro exigentia muneris noftri perfcripfiffemus. Interim Principales noftri perturbatô cordium fuorum fenfu contrarium rerum eventum, gravioraque onera, afflictionum molem, accifarum & repartitionis, ac aliarum contributionum & vecturarum executionem, bonorum fortunarumque noftrarum expilationem, direptionemque lacrymabundi fefe expertos effe refcribunt.

Nam, Clementiffime Domine, poft benigna, eaque feria Majeftatis Veftræ Sacratisfimæ Mandata feu Decreta, tantum abeft, ut iidem præfpecificati Majeftatis Veftræ Sacratiffimæ Officiales benignam voluntatem ac Ordinationem pro debito obfequii fui ftudio, uti tenerentur, obfervarent; quin potiùs in manifeftum Majeftatis Veftræ Authoritatis vilipendium ac benignorum Mandatorum præjudicium, mentionatarum accifarum, repartitionis & aliarum novarum ac infolitarum contributionum, taxarum, ac vecturarum paffim, ut præmiffum eft, per hocce affli&tiffimum Regnum Hungariæ, exactionem militari executione mediante continuare, exequi, & extorquere nihil penfi ducunt, benignas Majeftatis Veftræ Sacratisfimæ Commisfiones fupprimunt; Nam eas cum Comitatibus (quos negotium idem tangeret & concerneret) cōmunicare dedignantur, in his præmisfis vel maximè Adminiftratore Cameræ Majeftatis Veftræ Scepufienfis intereffato exiftente, noftrum quoque hic in publicis afflicti Regni Hungariæ negotiis pertractandis, Majeftatis Veftræ Sacratisfimæ benignam intentionem fecundare intentium, pari pasfu damnificatorum inexplicabili dolore nullum infolentiarum remedium, nullum militiæ refrænamentum, nullum denique fublevamen & folatium in præmisfis experimur.

Quare ad Auguftiffimum Majeftatis Veftræ Sacratiffimę thronum infrafcripti univerfi & finguli adeò afflicti, ruinati & oppreffi, fubjectiffimi fubditi humilimè recurrimus; Majeftas Veftra Sacratiffima, pro innata fua benignitate & Clementia afflictiffimis Comitatibus Regni, mediantibus benignis literis fuis patentibus ad eosdem immediatè dirigendis, ac intitulandis, Clementiffimam hancce refolutionem fuam nobis per antefatum Excellentiffimum Comitem Dominum Palatinum, modô, quô fupra, Clementer fignificatam, benignè intimare, ac intimari facere, fupranominatisque Officialibus fuis denuò idipfum firmiter ac feriò demandare dignetur.

Præfenti autem occafione hoc quoque Eidem Majeftati Veftræ Sacratisfimæ demisfè repræfentandum occurrit; qualiter proximis revolutionum temporibus, facta nimirum confiscatione bonorum, feu rerum

 mo-

mobilium, literarumque & literalium instrumentorum in Arce Saarvar, certæ capsulæ, Privilegia Regni in se continentes repertæ fuissent, per mortem Comitis olim Thomæ Nadasdy Palatini ad manus & potestatem Comitis quondam Francisci, similiter Nadasdy deventæ, tandem per deputatos Majestatis Vestræ Sacratissimæ ex Inclyta Aulica Camera Commissarios, unà cum reliquis prævio modo confiscatis rebus mobilibus, literalibus instrumentis, æquè confiscatæ, ac ad eandem Cameram Aulicam deportatę fuissent, ibidemque haberentur etiam de præsenti.

Quare hoc etiam in passu Majestati Vestræ Sacratissimę demisse supplicamus, dignetur eam facere dispositionem, & benignam ordinationem, quo eædem Capsulæ cum Privilegiis inibi contensis, inter reliqua Regni Privilegia, stante præsente Diæta, ex integro reponi, ac insimul conservari valeant.

Benignè porrò meminisse dignabitur Majestas Vestra Sacratissima, qualiter apud Eandem diebus proximè præteritis, medio Excellentissimi Domini Comitis Palatini pro eliberatione Comitis Georgii Illyeshazy ejusdem ex aresto, in quo de facto detineretur, demississimè supplicaverimus; quia verò prout ex iterata Consortis ejusdem Supplicatione informaremur, nihil adhuc eatenùs per Majestatem Vestram Sacratissimam resolutum extitisset: Ideò Majestati Vestræ Sacratissimæ perquam humillimè supplicamus, quatenùs dictum toties fati Comitis arrestum benignè relaxare, eundemque liberum dimitti facere Clementer dignetur, humili submissione detegentes, quòd per hanc demissam instantiam nostram, nec Fisco Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regio, sed neque alteri cuipiam aliquid prætensionis contra memoratum Comitem Illyeshazy habenti, præjudicare intendemus.

Similiter & Egregius Nicolaus Ostfy, per violentam bonorum suorum cum demolitione ejusdem Castelli, direptionem, & nullo servato Juris ordine eorundem factam occupationem, ac de facto etiam præ manibus Fisci existentium detentionem (uti penes certum Supplicem Libellum suum jam antea Majestati Vestræ Sacratissimæ humillimè porrectum exposuisset) se injuriatum non immeritò querulatur, & benignam Majestatis Vestræ Sacratissimæ eatenùs resolutionem cum effectiva bonorum suorum adhuc stante Diæta, ex integro sibi fienda restitutione, penes demissam hancce instantiam nostram humili obsequio præstolatur.

Quâ Majestatis Vestræ Sacratissimæ Cæsareæ & Regiæ gratiâ & Clementiâ quantocyùs assequenda consolati, in pertractandis publicis rebus ac negotiis eò ferventiori Zelo desudare queamus, cupientes, servet

DEUS

Digitized by Google

DEUS Eandem Majestatem Vestram Sacratissimam quàm diutissimè Orbi Christiano feliciter Imperantem, ac prosperrimè regnantem. Datum Sopronii ex Diætali Congregatione nostrâ. Die 9. Julii, Anno 1681.

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Humillimi Capellani perpetuoque devoti Subditi
Universi Status & Ordines Prælatorum, Magnatum & Nobilium, Liberarum item & Regiarum Civitatum Inclyti Regni Hungariæ, Partiumque Ei annexarum.

XV.

Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregiis & Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis Universis Regni Hungariæ & Partium ei annexarum Statibus & Ordinibus nunc Sopronii in Generali Ejusdem Regni Diæta congregatis assignandum. (L. S.)

Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis Domini Domini nostri Clementissimi nomine Reverendissimis &c. (ut supra) Diæta constitutis significandum.

EAndem Suam Majestatem Sacratissimam fidelibus Statibus & Ordinibus benignè in memoriam revocare, qualiter tùm in serie gratiosissimarum suarum Regalium, & Propositionum, iteratorumque Regiorum Decretorum, imò etiam verbali Paternâ admonitione Clementer requisiverit, & hortata fuerit, Eosdem Status & Ordines, quatenus citra ullam moram consultationes & tractatus duntaxat publicos, de restauranda Patriæ tranquillitate, & ea, quæ proposita sunt, actutùm aggressi fuissent, rerumque circumstantiis prudenter pensitatis, privata quæque pro nunc sepoluissent, quemadmodum iidem Status & Ordines in demisso suo Libello Eidem Suæ Majestati Sacratissimæ pro Candidatione Palatini suppliciter porrectô, ubi eandem Candidationem assequerentur, obsequiosissimè facturos se etiam declarassent. Verùm quia intelligeret Sua Majestas Sacratissima particularibus illis compilationibus, & privatorum quorumvis pro arbitrio ipsorum, ac absque præscitu eorum, quibus vi officii similia priùs cognoscere, & exactè pondera-

re, discernereque ac seponere competeret, submissis instantiis atque gravaminibus, publica magisque necessaria & utilia negotia retardari ac præpediri, tantamque rerum privatarum seriem ac farraginem, jam etiam esse coacervatam, ut vel hujus perlectioni integræ vix sufficere possint hebdomadæ, per quod præter expectationem suam præsens Diæta cum summo temporis & publici boni dispendio atque jactura in longum protraheretur, quam tamen quantocyus optato fine terminandam Eadem sua Majestas benignè exoptaret.

Ac proindè fideles Status ulteriùs etiam Paternè requirendos, simulque & eos, quorum potissimùm vi officii, similes abrumpere moras interesset, seriò commonendos esset duxit, ut solitâ Generali Gravaminum compilatione, quamprimùm assumptâ, instantiisque privatorum quorumvis sepositis, & iis ad commodius tempus vel competens suum forum, solitosque Processus ac Judices remissis, ea duntaxat, quæ pro reducenda afflicto huic Regno exoptatâ tranquillitate, & stabilienda omnium securâ permansione, per Eandem Suam Majestatem benignis suis Propositionibus, Regiisque Decretis, & orali etiam paternâ adhortatione intimata fuere, pertractent, & quantocyùs feliciter perficiant atque concludant: Cùm non deessent gravissimarum Reipublicæ Christianæ curarum necessitates, propter quas Eadem Sua Majestas præsentem Diætam in longum tempus protractam habere nequiret, neque juxta Articulum 44. Anni 1649. ob rationes ponderosas, sanè inibi appositas Comitia ultrà bimestre spatium protrahi deberent. In reliquo Eadem Sua Majestas Sacratissima fidelibus Statibus & Ordinibus gratia atque Clementia Sua Cæsarea ac Regia benignè propensa permanet.

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem Neostadii Die 19. Mensis Julii 1681.

Johannes Maholany. Mppr.

XVI.

Sacratissima Imperatoria ac Regia Majestas.
Domine Domine nobis Clementissime.

POsteaquam ante quatuor circiter hebdomadas in demisso Memoriali Majestati Vestræ Sacratissimæ per speciales nostros deputatos, humilimè exhibito, exantlatarum injuriarum, oppressionum & persecutionum in Evangelicæ Religionis exercitio molem (referendo nosmet

ad

ad specialia quoque Anni 1662. Religionis gravamina) in generalioribus saltem terminis repræsentassemus, summâ aviditate præstolabamur indies Clementissimam, cum spe obtinendæ consolationis & satisfactionis resolutionem; quæ dum præter expectationem diutius emaneret, volentes admaturationi Tractatuum Diætalium, in hoc quoque negotio consulere (strictis etiam Principalium nostrorum instructionibus compulsi) tàm Majestatis Vestræ Sacratissimæ hîc in Regiâ Liberaque civitate Soproniensi constitutis Excellentissimis Dominis Commissariis, quàm Excellentissimo quoque Domino Regni Hungariæ Palatino, per certas è medio nostri expeditas personas detegendum duxeramus; nos per alium Supplicem Libellum, denuò pro benigna resolutione Majestatis Vestrę Sacratissimę Clementię submissè pulsare velle ostium. Verùm cum utrinque id responsi acceperimus, Majestatem Vestram Sacratissimam prædictum nostrum memoriale fidelibus suis è Statu Catholico pro notitiâ transmisisse, eosque nunc in responso ad id dando occupatos esse; prçviâ adhortatione, ad exiguam aliquot dierum moram patienter ferendam, quâ decet modestiâ huic suarum Excellentiarum monito nosmet accommodare studuimus. Ast cum jam opinione longiorem experiamur dilationem, speramus Majestatis Vestrę Sacratissimę nos non incursuros indignationem, si humillimis petitionibus nostram demissam, ac in memorato Memoriali contentam Supplicationem, nunc quoque repetierimus, ut eò celeriùs in hoc negotio voti compotes facti, ad reliquos quoque Diætales Tractatus progredi, ac complanatis authoritate Regiâ, ad normam Majestatis Vestræ Sacratissimæ benigni Diplomatis, Gravaminibus nostris, omnes ad nostros eo pacatiori animô & cum desiderata satisfactione, redire valeamus. Quemadmodum verò de Majestatis Vestræ Sacratissimæ Clementissimâ resolutione nullum dubium mentes nostras subit, ita nos quoque ardentissimis precibus pro Majestatis Vestræ Sacratissimæ felicissimo ac diuturno regimine, nil ex parte nostra intentatum relinquimus, per quod tanquam erga Clementissimum Regem nostrum omnigena fidelitatis specimina contestari valeamus, permansuri semper.

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ.

Humillimi ac perpetuò fideles Subditi
Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

Supplicatio hæc Die 20. Julii Anni præsentis 1681. à Statu Evangelico, medio certorum Suorum ad id deputatorum Ablegatorum Suæ

Majestati Sacratissimæ exhiberi debebat; interim Excellentissimus Comes à Noszlicz Neostadiô supervenit, intellectaque hac Evangelicorum intentione, Eisdem denunciavit, non opus esse Suæ Majestati hac in causa aliquam Supplicationem exhibere, de quo enim ipsi supplicare vellent, hoc â Suâ Majestate in commissis jam haberet. Et quoniam Eidem ex Mandato Suæ Majestatis iterùm Neostadium, & quidem adhuc hodie eundum esset, tamen intra duos vel tres dies rediturus Suæ Majestatis benignam resolutionem Statui Evangelico proponet. Ob quod dicta Supplicatio transmissa non est, & nihilominus tamen cum Excellentissimo Domino Comite à Caplirs antecedenter jam in paribus communicata.

XVII.

Responsio Hungarorum Exulantium Inclytis Regni Hungariæ Statibus & Ordinibus ad Literas Eorundem data, ex Hungarico Idiomate in Latinum genuina translatio:

Inclyti Regni Hungariæ ex omni Statu constitutis Excellentissimis, Spectabilibus, Magnificis & Nobilibus Ordinibus, Dominis Confidentissimis & Fratribus nobis dilectis.

Illustrissimarum ac Generosarum Dominationum Vestrarum sub dato 18. Junii, communiter nobis scriptas literas debitâ cum observantiâ accepimus, quas insimul communiter perlegendo, earundem continentias intelligimus.

Tantum verò abest, ut præconceptæ bonæ spei aliquas primitias sensissemus, ut potiùs, cujus negotii primùm & ante omnia rectificationem optassemus, eodem seposito, Illustrissimæ ac Generosæ Dominationes Vestræ aliud, contra Diploma & antiquos Tractatus occeptaverint. Interim siquidem totaliter ad Excellentissimum Dominum Comitem Paulum Eszterhazy essemus relegati, nos etiam hâc de re Suæ Excellentiæ uberiùs perscripsimus. Ea proindè ut Illustrissimæ ac Generosæ Dominationes Vestræ intelligere quoque possint, Literarum nostrarum genuinam Copiam præsentibus inclusam transmisimus, ulteriùs quoque priorum literarum nostrarum Eisdem Illustrissimis ac Generosis Dominationibus Vestris transmissarum continentiis inhærentes. DE-

DEUS

US Illustrissimas ac Generosas Dominationes Vestras diu faciat supersti-tes. Datum ex Generali Congregatione nostra in Castris ad Paly positis constituta 6. Julii 1681.

Illustrissimarum ac Generosarum Dominationum Vestrarum

Fratres & Servitores

Magnatum, Nobilium & Militum pro Spirituali & Corporali Libertate arma gerentium Hungarorum Ordines.

XVIII.

Mentionatarum Inclusarum Translatio

Illustrissime Comes, Domine Domine Colendissime.

SErvitiorum nostrorum paratissimam commendationem. Sub dato 18. Junii scriptas Illustrissimæ Dominationis Vestræ literas condecenti honore accipiendo, earundem continentias intelligimus. Super quas quidem literas nostras, tàm per literas, quàm etiam Ablegatum suum in memoriam nobis revocat, quòd nos pro veris Patriæ filiis agnosci postulaverimus, admaturationemque Pacificationis urserimus. Verum equidem: Ast non speravimus, quod in hac Earundem Illustrissimarum ac Generosarum Dominationum Vestrarum congregatione, sepositâ Pacificatione, ad Tractatuum & Libertatum convulsionem, cum præjudicio nostro, jam manum admoverint; quâ ratione Inclyti Status literis nostris, insertis postulatis, nullatenùs satisfaciendo, ab eisdem Illustrissimis ac Generosis Dominationibus pro talibus (scilicet Patriæ Filiis) non agnoscimur: Cùm & aliàs Evangelicæ Religionis negotium primùm & ante omnia, tanquam Publicum cum Suâ Majestate Sacratissimâ, non ut communiter cum consensu Evangelicorum promovissent, quin potiùs idem, juxta tenorem Diplomatis non complanando, pro privato negotio tenerent & haberent, ex cujus tamen complanatione unicè salus & tranquillitas Patriæ dependeret. Porrò non complanatò Religionis negotio, nostrô etiam assensu minimè expectatô, totius Regni electione concernentia officia constituissent; cùm tamen in literis nostris hoc fuerit postulatum nostrum, ut in negotio Spiritualis & Corporalis Libertatis unà nobiscum cooperentur. Quarum Causarum intuitu Illustrissimarum ac Generosarum Suarum Dominationum Patrias

Le-

Digitized by Google

Leges lædentem Constitutionem approbare minimè valentes, eidem amplius annuere nequivimus. Fecimus insuper talem etiam intimationem, quod nostræ coadunationis modalitas non nisi cum contento Portæ fieri possit, ultima alioquin ruina genti nostræ impendente, ejus etiam à tantis temporibus nullum effectum sentimus & deprehendimus. Quæ verò, ratione illuc expediendorum hominum nostrorum duplices Salvi passus literæ ad manus nostras allatæ sunt, penes quas hominum nostrorum adventum accelerare vellent, in iis etiam non exiguos videmus defectus: ubi expediendi homines, in alteris pro Plenipotentiariis, in alteris verò pro Mandatariis & non Ablegatis haberentur, neque etiam ad tractatus, sed ad Supplicationem vocarentur, & à particularibus Regnicolarum Conferentiis (quæ jam nunc Conventicula nominarentur) arcendo circumscriberentur. Horum Omnium intuitu itaque coram DEO & mundo manifestè constat, & constabit, si quæ remora ea propter hoc in negotio contigerit, non nos, verùm illos causam futuros, à quibus hæ difficultates & cunctationes suam sumpserunt originem. Proindè non ulterius quoque priori Literali nostræ Protestatione ejusdem continentiis insistimus, Illustrissimam Dominationem Vestram in reliquo cupientes valere quàm felicissimè Datum ex Generali Congregatione nostrâ in Castris ad Paly positis celebrata 6. Julii 1681.

Illustrissimæ Dominationis Vestræ.

Servitores Paratissimi

Universitas Baronum, Nobilium, Exercitusque Confiniariorum ac Campestrium Equestris ac Pedestris Ordinis Militum pro DEO & Patria Militantium Hungarorum.

XIX.

Intercessio Ablegati Extraordinarii Fœderati Belgii Ordinum Generalium in Aula Imperatoria ac Regiæ Majestatis Sacratissimæ penes Evangelicos in Hungaria existentes, Suæ Majestati Sacratissimæ Neostadii Die 12. Augusti exhibita & præsentata.

Sere-

Serenissime Cæsar, Imperator semper Auguste.

COnfiderato Statu rerum in Orbe Christiano, facilè, scio, à Majestatis Vestræ prudentia obtinebo assensum, multum & plurimum, Augustissimæ Domus ac plurimorum in Europa Statuum interesse, ut motus in Hungariâ quàm optimè & citissimè componantur, non leviter, non superficiariè, sed solidè. Quoniam jam verò nulla unquam solida ac firma pax, commotis Regni alicujus visceribus reduci potest, nisi animi simul componantur, sublatis turbarum causis, secundum Justitiam. Hæc enim animos regit, commotosque componit: in hac unicâ Christianæ ac veræ Politices ratio consistit: hæc sola Rempublicam perpetuam, Coronasque in æternum Principi suo, Posterisque ejus conservat: ab hac ubi vel latum unguem disceditur, omnia in Republica fluxa, atque fragilia esse incipiunt. Omnis labascit vis Imperii simul ac illud axiomatis Politici monstrum invaluit: Virtus & Summa potestas non cöeunt. His innixus principiis, Serenissime Cæsar, ubi Statum Reipublicæ Hungariæ publicum animo mecum seriò reputavi, ex sincerissimo zelo pro Dominorum meorum, & simul Augustissimæ Domus servitio, Excellentissimo Domino Aulæ Majestatis Vestræ Cancellario & Intimo Consiliario, Domino Baroni Hocherano hisce diebus seriò cogitationes meas ponderandas, examinandas obtuli & aperui; Nempè me sincerè non videre quomodò motus Hungarici solidè ac firmiter in statum bonæ pacificacionis reduci possint, quàm si gravamina Religionis (eorum scilicet, qui in fide & obsequio Majestatis Vestræ perstitêre) secundum Diploma Regium componantur. Quoniam verò ex diversis Majestatis Vestræ Ministris intelligam, hanc viam Majestati Vestræ placere non posse, propter diversa: ac non alia Dominorum meorum mens sit, quàm Majestatis Vestræ voluntati humilimè sese accommodare ac subjicere, non potui non sententiam meam (hoc si sit, quôd Majestas Vestra hanc viam inire velle non possit) Intimorum Consiliariorum Majestatis Vestræ sententiæ humilimè subjicere, meamque à me ablegare: Quare humilimè hoc solummodò rogo, prout Majestas Vestra Intercessionis Dominorum meorum pro satisfactione Evangelicorum, in puncto restitutionis templorum, ac bonorum Evangelicis fidelibus semper & obsequiosis ablatorum, quacunque etiam viâ Majestati Vestræ placere possit negotium Religionis in Hungariâ componere; quâ maximâ poterit gratiâ memor esse velit, credatque Majestas Vestra, non alias Dominos meos Clementissimos intercedendo habere intentiones, quàm quæ ad promovendum verum interesse Augustissimæ Domus, ac simul suum utiles esse,

Digitized by Google

juvare & conducere possunt. DEUS Optimus Maximus Majestatem Vestram diu incolumem ac sospitem conservet.

Sacratissimæ Majestatis Vestræ

humillimus Servitor
Gerhardus Hamel Brüyninx, Dominus de Nieuvenrode, Clementissimorum ac Potentissimorum Fœderati Belgii Ordinum Generalium, ad Aulam Imperatoriæ ac Regiæ Majestatis Vestræ Ablegatus Extraordinarius.

XX.

Tertiaria Status Evangelici Supplicatio ad Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem, in negotio Religionis, exhibita Sopronii Die 20. Augusti 1681.

Augustissime Imperator,
Domine Domine nobis naturaliter Clementissime.

NOn jam ampliùs benignissimas Majestatis Vestræ Sacratissimæ aures prolixâ rationum nostrarum, prioribus nostris Supplicibus Libellis copiosissimè deductarum repetitione onerare pergimus, pergimus tamen indefinenter Clementiæ Cæsareæ ac Regiæ, pro exoptatâ resolutione humillimis precibus ac demissè sollicitare Thronum, non obstinatæ alicujus pervicaciæ delectatione, prout ab aliis immeritò arguimur, exstimulati, verùm imperterritâ gratiæ Regiæ fiducia animati, quæ Majestati Vestræ Sacratissimæ, Religione nostra in extremo jam constituta periculo, Supplicandi continuam nobis imponit necessitatem, atque nos nil nisi impetrandam redintegrationem, cum restitutione prioris Status sperare jubet. Et meritò quidem, neque enim nos fideles Majestatis Vestræ Sacratissimæ subditos quispiam perduellionis alicujus scelere jacturam fidei Regiæ fecisse, atque ex eo Diplomatis Regii incapaces esse, asserere bono jure potest; quod quidem Sanctum Diploma, si nobis suffragatur, prout & suffragatur, nos in tantis fluctibus & proximi naufragio, huic tanquam sacræ anchoræ, & Libertatis Religionis inexpugnabili propugnaculo immotè inhærentes, in justa Causa, Regiâ benignitate unicè freti, felicem exitum nobis meritò pollicemur. Non adversatur Divinæ Majestati, dum pii calamitatibus pressi, assiduâ precum effusione, cœlum pul-

Digitized by Google

pulsant, opemque & liberationem indesinenter implorant. Cum itaque Majestatem Vestram Imperatoriam visibilem quandam DEI Majestatem, qui dixit: Vos Dii estis in terris, repræsentare manifestum sit, nos quoque non curatis eatenus per alios positis diversis obstaculis, eorumque terroribus majores adhuc extremitates nobis minantibus, nullis artibus à constanti demissæ Supplicationis, obtinendæque Diplomaticæ Justitiæ proposito nos dimoveri patiemur. Apprehendemus adhuc, & pressis quasi manibus tenebimus indesinentibus Supplicibus nostris precibus, lacrymis, obtestationibus Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ bigas, quibus virtute Symboli sui, tanquam Sol noster vehitur, Consilium videlicet & Industriam, iisque tam diù inhæsuri, demisseque petituri, ut ea, quæ tempore elargiti nobis Diplomatis Consilio, pro securitate Religionis nostræ clementer impertitus, Industriâ quoque & Regiâ authoritate perficere dignetur, & Regio suo jubare, discussis calamitatum nostrarum nebulis, Religioni nostræ cum satisfactione & complanatione Gravaminum nostrorum, securitatem, & taliter toti Regno desideratam serenitatem impetraverimus. Nîl nos inauditi, nîl cum dignitate Regiâ pugnans petimus, inviolabili, ut præmissum, Sanctitati benigni Diplomatis insistimus, quo nos Majestas Vestra Sacratissima gaudere & frui voluit, dùm Evangelicorum quoque voto legitimè electus & coronatus Rex noster salutatus fuisset. Imò nec privatum quippiam, prout à contrariantibus nobis continuè objicitur, urgemus, sine quo enim publica tranquillitas & Regni quies persistere nequit, pro privato haberi minimè potest. Quapropter ut Majestas Vestra Sacratissima Clementissimos in nos convertendo oculos, optatâ resolutione iteratis jam Memorialibus imploratâ, nos fideles suos Subditos erigere dignetur, instantissimè supplicamus. Qui Majestati Vestræ Sacratissimæ augustissimum & diuturnum omnigenâ felicitate ad vota refertum precantes Imperium, totos nosmet gratiæ & Clementiæ Cæsareæ ac Regiæ devovemus, tanquam

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ

humillimi ac perpetuò fideles Subditi,
Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

XXI.

Paria Literarum Ablegati Extraordinarii Confœderatorum in Belgio ad Status & Ordines Evangelicos, Die 18. Mensis Augusti 1681. transmissarum.

Illustrissimis, Spectabilibus ac Magnificis, Generosis & Egregiis, Prudentibus ac Circumspectis, Universis Inclyti Regni Hungariæ Statibus & Ordinibus Evangelicis.

(L. S.)

Illustrissimi, Spectabiles ac Magnifici, Generosi & Egregii, Universi Inclyti Regni Hungariæ Status & Ordines Evangelici.

QUantum intersit Reipublicæ Christianæ, quantum Augustissimæ Domui, quantum reliquis Regibus ferè omnibus Principibus Statibus in Europa, quàm maximè Hungariæ Regno, Patriæ Vestræ, Magnatibus, Ecclesiasticis, Comitatibus, Civitatibus & Regnicolis omnibus & singulis, ut pax in Hungaria restituatur, manifestiùs est, quàm quod demonstratione egeat, nihiloque magis quàm clara lux face.

Hoc itaque cum non ignorent prætitulatæ Dominationes Vestræ, nec non quantum afflictionis ac miseriæ Prædicantium Vestrorum, ac interruptus cursus liberi Exercitii Religionis Evangelicæ, Dominis meis Clementissimis, mihique eorum Ministro cordi fuêre & sunt, quantoque studio & Zelo hâc in parte à me laboratum sit apud Sacratissimam Suam Majestatem, Regem Vestrum Optimum Maximum, à cujus singulari bonitate, justitiâ & clementiâ impetratum fuit gratiosum illud Decretum, cujus vi & vigore plurimi afflicti & miseri Prædicantes (quorum afflictiones & miseriæ vobis cordi erant, & quotidianas lacrymas, suspiria, precesque ad DEUM omnipotentem & misericordem, & Vestrum in Christo JESU extorquebant; & quorum absentia vos omnes sicut oves sine pastore inimicis vestris expositi, oberrabatis) vinculis, carceribus & triremibus, contra omnium expectationem & fidem liberati ac soluti fuerunt, ac simul sæva persecutionis tempestas ab isto tempore minori rabie sæviit, & hactenùs quievit. O utinam! ut pacis restituendæ prognosticon!

Denique cum Eædem Dominationes Vestræ probè sciant, Dominos meos Clementissimos, meque ex eorum Mandato non derelinquere vestram causam, sed eam Regum longè optimo, æquo, justo ac clementi, studio eodem ac Zelo commendare, nec desituros, usque dùm vel minima spei superèrit scintilla. Patiamini proindè, ut Vos liberè alloquar, moneam, suadeam, atque æquo animo attendite ad ea, quæ vobis alloquendo Vos, adhortando, monendo, suadendo, ponderanda tamen à vobis

bis

bis atque examinanda, relinquo. Pax & quies in Regno Hungariæ Dominis meis Clementissimis cordi est; sed simul plena templorum, bonorumque ablatorum restitutio. DEUM testor! nolite itaque ægrè ferre, si in sententias Vestrás aliquando incurram vel impingam.

In omnibus negotiis facillimè ad finem optatum pervenitur, ubi illa absque odio, irâ vel aliâ aliquâ passione, quæ Judicium turbant, tractantur. Modestia, æquanimitas, moderatio, ubi in animo Imperium detinent, nullum tàm arduum, tàm perplexum est negotium, quod tractando vertendo, explicando, resumendo, relaxandoque non facilè expeditur. DEUS Optimus Maximus animo placidos, pacificos, modestos, in charitatem, inque mitiora proclives juvat, amat, caussasque illorum promovet, vertitque sæpiùs contra spem metumque in meliùs; hæ virtutes Christianos decent maximè, cum Evangelii magnam faciant partem, Evangelicos.

Seponant ergò injurias præfatæ Dominationes Vestræ, quas pertulerunt: condonent præterita, quæ reparari non possunt; remittant offensas, etiam cum tolerabili damno, pacem, quantum in vobis est, charissimi Religionis consortes, quærite, cum omnibus Regni membris; mitigate Gravamina vestra, ex æquo, ex bono, lege charitatis; ablegate rigorem Juris, qui cum æquitatis & charitatis ratione non semper subsistit; Pacem, quietem & concordiam ante omnia respicite, quærite, reducite. Propter vos ipsos, Uxores, Liberos: propter Patriam, Concives, Regnicolas, propter laborantes Status, Reges, Principes, fidei in Orbe Christiano consortes: propter Dominos meos Clementissimos, Vestros apud Clementissimam Suam Majestatem Supplices intercessores: propter Augustissimam Domum, quæ per tot annos multo sanguine, aurô, argentoque vos & Christianismum contra inimicos defendit, propter Regem Vestrum bonum, optimum, æquum, justum, clementem, qui subditos suos, vosque omnes, ut viscera sua amat, qui pacem vobis dare, gratiam suam dispartiri, misericordiam etiam malè meritis elargiri desiderat.

Hujus optimi Regis vota pro pace, quiete & securitate Regni, juvate, promovete, hâc ratione fidem vestram, quam semper habuistis præ cæteris, & conservate constanter, Domino vestro Clementissimo contra aliorum fraudes probate. Hoc modo confundite inimicos vestros, qui inscio Rege Hungariam intolerandâ & non excusandâ audaciâ & temeritate opprimendi ac eruendi Evangelicam Religionem, ejusque liberum exercitium, turbarunt & turbant. Hujus optimi Regis Clementiæ confidite, at hæc omnia sperate potiùs, quàm ut desperata pax vestra culpâ fieret, quàm ut præsens Diæta vestro impulsu abrumperetur.

Digitized by Google

Hæc Clementia vos appellat, vel ad se vocat, omnia promittit, hæc Diætam convocavit, Palatinum dedit, plura dabit, omnesque non dubito cum gaudio domum dimittit.

Hæc considerate, ponderate, examinate, placidè, modestè, moderatè, æquanimiter, in gratiam ejus, qui vos ut fratres in Christo JEsu colit, qui vobis benè & optimè vult, precaturque toto animo & corde, ut DEUS Optimus Maximus in Christo Jesu vobis, Ecclesiæ suæ in Hungaria membris, benedicat omni benedictione in terris & in Cœlis.

Dominorum Ordinum Generalium in Fœderato Belgio ad Suam Majestatem Cæsaream Ablegatus Extraordinarius.

XXII.

Supplicatio Status Evangelici ad Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem, per Celsissimum Principem Regni Hungariæ Palatinum Die 26. Mensis Augusti Anni præsentis 1681. Sopronii, exhibita & porrecta.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine nobis naturaliter Clementissime.

CUm in primordiis compilationis Gravaminum sub his Regni Comitiis institutæ, etiam in negotio perturbatæ Religionis nostræ Evangelicæ emersorum, publico omnium Statuum & Ordinum Regni nomine Majestati Vestræ Sacratissimæ humiliter fieri postulatam repræsentationem obtinere non potuissemus: tùm ad partes relegati, deinceps nobismet ipsis fuit necessum, eadem in generalibus duntaxat terminis pro tunc concinnata, in demisso Memoriali, cum profunda animorum nostrorum demissione Sacratissimæ Majestati Vestræ porrigere.

Plurimus deindè interjectis Septimanis, quamdiu videlicet Status Catholicus prætensa sua Gravamina elaborarunt, in patienti silentio nosmet continere & præstolari jussi, expectavimus, quid produxerint: ita secundo Memoriali innocentiam nostram adversus eorum objecta, nunquam contra nos humiles Majestatis Vestræ Sacratissimæ fideles subditos comprobanda, coram Majestate Vestrâ Sacratissimâ genuinè deteximus; prægnantibus iis rationibus subnexis, ob quas in nullum cum eodem Statu Catholico habendum super eodem Religionis negotio tractatum nosmet immittere potuerimus. Tertio Memoriali non nisi pro

sum-

summè desideratâ benignissimâ resolutione Vestræ Sacratissimæ Majestatis Diplomaticâ, post tanti temporis patientissimam, cum demissa in Paternam Vestræ Sacratissimæ Majestatis pientissimam gratiam fixâ fiduciâ, conjunctam præstolationem, impensiùs oravimus. Nec interea otiosè hærentes, cum reliquis Statibus & Ordinibus in aliis publicis negotiis Diætalibus unà operati sumus.

Jàm ad Sextam Regii Diplomatis Conditionem pertingentes, verum quidem est, Augustissime Imperator, ejus occasione non posse nos in cooperando ulterius progredi, quamdiu super complanatione gravaminum nostrorum benignam & optatam Sacratissimæ Majestatis Vestræ resolutionem obtinere valeamus, declarare debuisse; repræsentare volentes humilimè, etiam Majestati Vestræ Sacratissimæ pietati, Clementiæ & Justitiæ Ejusdem confisi, quod quia Religionis turbatæ gravamina (quæ nobis longè onerosiora essent, Repartitionis & accissarum, aliisque impositis oneribus) non exactis, verùm durantibus ipsis Diætis sint complananda: propterea priusquam præsens terminus Diætalis exactus foret, congruo, imò legali hocce tempore, dùm Majestatis Vestræ Sacratissimæ, Sacri Regii Diplomatis prænotata sexta Conditio jam in ordine occurrisset, nos in ea urgenda singulariter constitutos esse, & realem ac effectivam complanationem, sub isthoc termino Diætali, Regia Sacratissimæ Vestræ Majestatis authoritate, Diplomaticè, post creatum Palatinum more & consuetudine antehac practicatis, instituendam, clementerque effectuandam prȩstolari nobis incumbit, etiam à Principalibus nostris sicce isthuc existentibus amandatis. Nisi etenim benè memoratâ, sæpiusque repetitâ Regiâ Sacratissimȩ Majestatis Vestræ authoritatȩ complanatio gravaminum nostrorum initium immediatè sumendô, actualis & finalis effectuationis spem nobis clementer porrexit, solutis præsentibus Comitiis, vix aliquam sperare licebit satisfactionem impendendam. Cujus rei monent nos infelicia exacta tempora, Annum 1649. subsecuta: postquam turbatis denuò in negotio Religionis Regnicolis, nec processu articulari, per Catholicos mille modis impedito ac turbato, satisfieri potuit, nec assecurationes in Comitiis subsequentibus per quondãPalatinum, & præcipuos Vestræ Majest. Sacratissimæ Ministros datæ, post ineffectuatæ manentes, quicquam turbatorib⁹ obfuerint, quin majorem fiduciam manifestiùs & pertinaci⁹ persequendi Religionem Evangelicã & ejus asseclas iisdem præbuisse, expertum est: Prædecessoribus nostris talibus assecurationibus, & promissionibus ad alios Diætales tractatus persuasis & inductis. Prout etiam sub his ipsis Comitiis jam sit ausum per aliquos dictum fuisse: Etiamsi qualiscunque publica constitutio articularis

Digitized by Google

laris de præsenti sancita fuerit, super occupatis reddendis, nequaquam sese eadem restituros fore. Ne itaque spe frustremur, quòd nobis ad alios publicos tractatus intentis, & per hoc præsenti justâ ac debitâ occasione neglectâ, ubi tempus Comitiorum effluxerit, serò tunc advertisse pœniteat, incomplanata mansisse Religionis nostræ gravamina, & tandem sine Diplomaticę satisfactionis impensione discedere cogamur, cum infausta nominum nostrorum etiam apud posteros memoriâ.

Proinde ad Augustissimos pedes Majestatis Vestræ supplices provoluti, apud Eandem Sacratissimam Majestatem Vestram profundissimâ animorum demissione, præsentibus hoc modo declaratis, porrò supplicamus: si quid aliud adversum nos Majestati Vestræ Sacratissimæ delatum hoc in passu fuerit, id ipsum apud se præponderari non sinat; verùm ex innata Cæsarea & Regia Sua Clementia dignetur nos universos & singulos, ejusmodi humilimos & perpetuò fideles Subditos suos benignissimè recognoscere, qui pacis anhelantes, & ejus studiosissimi, hoc ipso, perturbatæ Religionis complanationis, & desuper ante ulteriores tractatus per Regiam authoritatem impendendę satisfactionis Diplomaticæ efficaci & principali medio, desideramus pacem, afflictæ huic Patriæ restitui. Pro quo, jam rerum serie ita exigente, dum hac in parte agendum habemus, nec in cœteris negotiis ex rationibus prædeclaratis collaborare possumus, nullam aliam Sacratissima Majestas Vestra de nobis opinionem concipere, ne aliorum insinuationem contrariam admittere, quinimò ad iteratas, & eas demississimas præexhibitas Supplicationes nostras, clementissimam desideratam resolutionem Suam elargiri, ut illa ipsa Diplomatica resolutio Majestatis Vestræ Regiæ Ejusdemmet authoritate quo citiùs inchoari simulque effectuari possit, dignetur Clementissimè. Quam Majestatis Vestræ Sacratissimæ gratiam & benignitatem perpetuis iisque fidelibus servitiis humiliter demereri adnitemur, & benignissimâ resolutione prestolatâ, Eidem Majestati Vestræ Sacratissimæ vitam longævam, cum felicissimo ac florenti Imperio demississimè apprecamur.

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Humilimi perpetuoque fideles Subditi

Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

XXIII.

XXIII.

Decretum Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis Die 29. Mensis Augusti Inclyti Regni Hungariæ Statibus & Ordinibus exhibitum & præsentatum.

Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregiis & Nobilibus, necnon Prudentibus ac Circumspectis, Universis Regni Hungariæ & Partium Ei annexarum Statibus & Ordinibus, nunc Sopronii in Generali Ejusdem Diæta congregatis, assignandum.

(L.S.)

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis Domini Domini nostri Clementissimi nomine Reverēdissimis, &c. &c. Statibus & Ordinibus, ad modernam Generalem Ejusdem Regni Diætam convocatis & præsentibus, hisce singulariter significandum.

SUpposuisse Eandem Suam Majestatem Sacratissimam, sibique omninò persuasisse, compilationem gravaminum Regni jam esse absolutam, atque ideò ex Paternô desideriô ea complanandi, ante octiduum adhuc Neostadio huc rediisse. Interim dum præsentationem oblationemque illorum indies benignè præstolaretur, improvisè accipit porrectum sibi per addictos Augustanæ & Helveticæ Cōfessioni Regnicolas Supplicem Libellum, in quo se in reliquorum negotiorum publicorum, & gravaminū compilatione, & ulteriori cooperatione eò usque progredi nolle declararent, quousque super compilatione gravaminum in puncto Religionis benignam & optatam resolutionem non obtinuerint. Inusitatus iste petitionis promovendæ modus Altè memoratæ Suæ Sacratissimæ Majestati meritò displicuit, tanquam Regiæ Dignitati, Regnique universi utilitati minimè conveniens; quandoquidem in præsentissima ejusdem necessitate per omissionem consultationum publicarum, adeoque in apertam perniciem Regni nonnulli institutum suum petitum illicitâ viâ efficere, & transgressô propositionis ordine, novum in tractandis ne-

 gotiis

gotiis publicis sibi assumere nituntur, & quidem rectè ipso in tempore, quô Eadem Sua Majestas Sacratissima Paternâ ac maturâ deliberatione secum reputat, qualiter isthæc gravissima Religionis controversia, cujus determinatio ad Ejusdem arbitrium remissa fuit, placidâ & suavi methodo sopiri & complanari possit. Paterna etenim Ejusdem Sacratissimæ Suę Majestatis intentio semper fuit, ac etiamnum est, stante adhuc hâc Diætâ, præfata Religionis gravamina in compositionem assumendi, & neutiquam ea ad aliud tempus vel locum remittendi. Hac igitur benignâ pollicitatione securos admonet & hortatur clementer, Eadem Sua Majestas Sacratissima tàm supplices Augustanæ & Helveticæ Confessioni addictos, quàm reliquos Catholicos Ordines, ut citra ullam moram, omissas publicas consultationes denuò aggrediantur, easque indesinenter debitâ cum assiduitate, & diligentiâ prosequantur. Visuri vicissim brevi actualem inchoationem examinandorum Religionis Gravaminum instituí, & ad finem usque summâ cum applicatione continuari. De cœtero Eadem Sua Majestas Cæsarea & Regia, Sua gratia ac Clementia Universis Statibus & Ordinibus benignè jugiterque propensa manet.

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem, Sopronii Die 28. Mensis Augusti Anni 1681.

Johannes Maholany.

XXIV.

Literæ Responsoriæ Status Evangelici, ad præinsertas Excellentissimi Domini Ablegati Extraordinarii Dominorum Ordinum Generalium in Fœderato Belgio Literas, exhibitæ Die 31. Mensis Augusti Anno 1681.

Excellentissime Domine,

nobis observandissime, colendissime.

Acceptis eo, quô decuit, honore nuper Literis Vestræ Excellentiæ ad nos directis, tùm commendatô in iis benignô affectu Dominorum Principalium suorum Præpotentum in Fœderato Belgio Generalium Ordinum, benevoloque Ejusdemmet Vestræ Excellentiæ favore, causam nostram coram Sacratissimâ Cæsareâ Regiaque Majestate, Domino Domino nostro Clementissimo promovendi; tùm etiam zelosam ad-

adhortationem ad injurias seponendas, præterita condonanda, pacem querendam, gravamina mitiganda, quietemque & concordiam respiciendam & reducendam, aliaque ibidem fusiùs expressa: ex iisdem uberiùs intelleximus.

Quod Præpotentum Generalium Ordinum Fœderati Belgii, in calamitate miserorum Ecclesiarum nostrarum Ministrorum ac Scholarum Rectorum Christianam compassionem ac eliberationem à triremibus attinet, pro eadem apud Sacratissimam Suam Majestatem Dominum Dominum nostrum Clementissimum efficaci interpositione, demissas agimus gratias, perpetuâ gratæ mentis recordatione ad posteros quoque transmissuri.

Cœterum, Excellentissime Domine, summas, summèque injuriosas, quas Evolutis temporibus passi fuimus, patimurque hodie innocentissimæ nostræ Religionis Evangelicæ turbationes, & eatenus complurium turbatorũ sibi atrogatam, & hucusq; continuatam universalem ferè miseros Evangelicos in hac Patria persequendi licentiã, quâ videlicet mediante, paucissimis exceptis, omnia Tẽpla, Parochiæ, Gymnasia, Scholæ, Xenodochia, proventusq; eo pertinentes (in quorum pacifico usu, ab ipsis institutæ Reformationes Evangelicæ temporib', dùm Prædecessores nostri tàm seculares, quàm plures etiam Ecclesiasticæ Personæ, per prædicationem Verbi Divini Religionem Evangelicam spontè & liberè amplexi fuissent, ac templa & reliqua enumerata præ manibus ipsorum tanquam legitimorum possessorum & hæredum remansissent, consequenterque legaliter & Diplomaticè potiores numero nos Evangelici Incolæ hujus Regni perstiteramus) viâ facti occupata sunt, nonnullis ejusmodi occupatorum Templorum funditus eversis, ac eorum materialibus in Stabula & profanos usus conversis: quaque mediante, Ministri Evangelici & Scholarum Rectores, sub variis prætextibus omnibus facultatibus emuncti, è Parochiis pulsi, capti, ac plurima cruciatuum genera subire coacti; Nobiles item ad incompetens forum citati, arestati, bonis privati, miseraque plebs variis damnificationibus, & miseriis afflicta & oppressa est: hujusmodi injurias, cœteraque adversus Evangelicam Religionem nostram, & ejus in hoc Regno asseclas commissa, contra tenorem sacrorum Regiorum Diplomatum, contraque publicas iteratas Regni sanctiones, ac desuper initas Pacificationes audacissimè patrata, Suæ Sacratissimæ Majestati, ceu Domino & legitimo Regi nostro, in præexhibitis Memorialibus nostris, uberiùs quidem, sed tantum generaliter, maximâ animorum nostrorum demissione, uti jam repræsentavimus, atque justam hanc publicam, publicarum

Digitized by Google

injuriarum & oppressionum nostrarum Causam coram Suâ Majestate Sacratissimâ, tanquam supremô in terris Orbis Christiani Justitiario, nostroque Clementissimô Rege, ac æquissimo Judice humilimè exposuimus, secundùm prælibati benigni sui Diplomatis continentias, complanandam & determinandam; Sic nequaquam volumus, nec unquam in animum induximus, hæc ipsa religionis nostræ ejusque consortibus illata adversa, per nos ipsos, aut quoscunque alios aliter ulcisci: verùm ad Augustissimos Suæ Majestatis Sacratissimæ pedes supplices devolvendô, & Eandem per viscera misericordiæ Divinæ demissè orandô, quatenus ex authoritate Regiâ, in quam spem nostram totam unicè post DEUM conjecimus, illamque pro inexpugnabili refugii nostri asylo habemus, gravamina nostra præviô modô, cum satisfactione injuriatorum benignissimè complanari: ac contravenientibus punitis, nos in integrum restitui facere; atque in firmam & stabilem securitatem, stante adhuc præsenti Diæta, collocare dignetur.

Atque istâ viâ rectâ per toties memorata Diplomata Regia veluti fundamentales Regni hujus leges nobis præmonstrata, quærimus omninò, Excellentissime Domine, Sanctam Pacem, desideramusque reduci quietem & communem concordiam; nobis siquidem nihil unquam desiderabilius est & fuit, quàm habere & posse semper colere pacem in afflictissima totque adversitatibus vexatâ, & jam in extremo ferè discrimine fluctuante hac Patria.

Ab hac autem via, ad alium quempiam tractatum, cum parte, à qua taliter offensi sumus, ineundum, deflectere, videtur nobis nec tutum nec conducibile, nec demum stabile; prouti id nobis experientia manifestum reddidit. Namque deflexione tali ab hac Regia via non possumus infelici quorundam Prædecessorum nostrorum exemplo edocti, (quod ipsum nunc nos terret maximoperè) aliquam nobis polliceri spei nostræ adimpletionem. Cùm etenim in publicis Regni Comitiis Anni 1647. vigore Sacri Diplomatis Regii, quadraginta plùs minùs Templa Evangelicis in hoc Regno fuissent restituenda: ejusque temporis Prædecessores nostri ad similem tractatum condescendendo, dùm postea serò animadvertentes eatenus inconsideratè se fecisse, ab indeque resilire voluissent, recedere non permissi, verùm eò res devenit, ut ex occupatis tot templis Evangelicorum, nonaginta solùm sunt restitui promissa, nec ea tunc statim restituta & assignata, imò jam nunc etiam eadem cum aliis ferè omnibus ab Evangelicis rursum reoccupata existunt.

Vult præterea contradictione suâ obviare Clerus, quo minus talis accordæ tractatus nobiscum institui queat, qui citiùs etiam eatenus suam

Con-

Digitized by Google

Contradictionem admaturavit, quàm nobis Evangelicis tractandum esse intimatum fuisset. Et sicut idem ab initiò semper prætensas suas Contradictiones contra nos, Jusque etiam nostrum Diplomaticum obvertit, ita & nunc obverteret: ac proindè noster cum offensoribus nostris eo modo ineundus tractatus, conclusorumque & accordatorum stabilitas & securitas nequaquam speranda foret.

Præmissas rationes præponderat etiam id, quod quia secum ferret amicabilis compositionis natura, debere in similibus tractatibus à summo jure recedere; nostrum verò Jus sint ipsa toties memorata Sacra Sacratissimorum olim Principum ac Regum moderniqué Pientissimi Regis ac Domini nostrorum Diplomata Regia, absit à nobis ab iis vel latum unguem recedere, & per præjudiciosum aliquem tractatum iisdem quicquam, cum summa conscientiarum nostrarum læsione detrahere, cum perpetuâ nominum nostrorum ob rem non dextrè gestam infamiâ, successorumque nostrorum prostitutæ Libertatis maculâ.

Habentes itaque etiam coram Tribunali Divino per nos in futuro seculo reddendarum rationum curam, præmissæ justæ, directæ & legitimæ semitæ, velimus nolimus, est nobis insistendum necessariò; in qua nullius penitùs pervicaciæ delectatione exstimulati, sed imperterritâ gratiæ Regiæ fiduciâ animati procedentes, cum profundâ demissione pulsamus fores Regiæ Clementiæ, nec à constanti demissæ Supplicationis, & per eam obtinendæ Justitiæ Diplomaticæ propositô, nos dimoveri patiemur.

Justum, Excellentissime Domine, & licitum per Leges petimus, petimusque justè & sine injuria, petimus autem à justissimo Orbis Christiani justarum causarum Judice; petimus uti pacis assequendæ cupidissimi, & tùm constantis quietis amantissimi, petimus bonum publicæ tranquillitati, & totius Regni quieti deserviens, & confidimus justissimum eum Judicem circà postulata nostra ad imitationem olim Gloriosissimorum Matthiæ Secundi Augustissimorum avi & dulcissimi Progenitoris Sacratissimæ Suæ Majestatis, hanc eandem justitiam nobis injuratis clementissimè elargiturum & administraturum.

Quoad offensas personales, nobis multifariè illatas, ab Excellentiâ Vestrâ, aut aliis quibuscunque cordatis magnis viris, nolumus tales reputari, qui non facilè condonare cuperemus easdem, nec unquam hactenus perpessarum injuriarum tàm memores fuissemus, quin charitate quoscunque superare niteremur: dummodò nobis & nostratibus, Templa, Parochiæ, Scholæ, Gymnasia, Xenodochia cœteraque occupata & erepta, quæ ex toties allegatis principiis occupare minimè ulterius licuit, resti-

Digitized by Google

tuantur, Ministri Confessionis nostræ ad priora Parochiarum, Scholarum & Gymnasiorum loca, abolitis hinc indè extortis ab iisdem præjudiciosis Reversalibus, admittantur; verbò, in eum liberi Exercitii Religionis nostrę Statum, quô antecedentibus & notanter ipso Anno 1647. constituti fuimus, asseramur, Articulis etiam ejusdem Anni hoc in passu firmati. Quâ justâ & constanti nostrâ petitione Divinam humanamque Majestates nequaquam offendimus, cum Majestaticæ Ipsorum Authoritati nihil quippe, & ne in minimo quidē derogatorium, cum omni animorū nostrorum subjectione suppliciter expetamus, nec in charitatem erga proximum quicquam delinquamus, nostra, non aliena, repetentes: nec animorum alienationi & dissensioni obnoxia, imò ad unionem & fraternam dilectionem coalescendam deservientiæ effectuari desideramus, modestè ac placidè agentes, ac quô demissiùs & suavius fieri potest, justam nostram instantiam coram Cæsareâ Regiaque Majestate, coram Excellentissimis Dominis Aulæ Cæsareæ Ministris, coram summis Regni hujus columnis, tanquam oculis Orbis Christiani, cœterisque Dominis Statibus & Ordinibus, Fratribus, Proximis & Commembris nostris hicce constitutis; attendentes, hoc & non aliud esse, etiam officii fidelitatis nostræ, quâ erga Suam Majestatem Sacratissimam, uti Dominum & Regem nostrum nosmet in perpetuum devovimus. Et hæc sunt, quæ Excellentiæ Vestræ condecenti honore ac debitâ officiorum nostrorum commendatione rescribenda habuimus, permansuri semper

Ejusdem Excellentiæ Vestræ

Amici & Servitores Paratissimi,
Status & Ordines Inclyti Regni Hungariæ
Evangelici.

Excellentissimo Domino Gerhardo Hamel Brüyninx, Domino de Nieuvenrode, Præpotentum Fœderati Belgii Ordinum Generalium ad Sacratissimam Cæsaream ac Regiam Majestatem Ablegato Extraordinario &c. &c, Domino Observandissimo, colendissimo. &c.

XXV.

Augustissime Imperator Rex & Domine, Domine nobis Clementissime.

DUm nos post exhibita humilima nostra Memorialia, ratione turbationis Religionis Evangelicæ Gravamina & Querelas repræsentan-

tia,

tia, à Majestate Vestrâ Sacratissimâ clementem resolutionem patienti animo de die in diem præstolaremur, animati etiam benigno Vestræ Majestatis Sacratissimæ responso in ultimâ Ablegatis Status Evangelici impertita audientiâ oretenùs dato, quod videlicet eo fine Majestas Vestra Sacratissima Neostadiô huc redire dignata, ut quantocyus etiam negotium Religionis accommodetur: heri sicut & hodie non sine conturbatione animorum intelleximus, Sacratissimam Majestatem Vestram crastinâ die discessum hinc meditari, ac per aliquot dierum intervallum abfuturam; undè afflictissimæ Religionis nostræ Calamitas, & in Paternô Majestatis Vestræ Sacratissimæ erga nos fideles suos Subditos affectu locata fiducia, hanc nobis imposuit necessitatem, ut demisso hoc memoriali Majestatis Vestræ Sacratissimæ Clementiam pro optata Diplomatica resolutione, denuò implorare non vereamur. Quare habitâ reflexione ad præmissas iteratas & demissas nostras Supplicationes, rationesque in eis copiosiùs deductas, iterùm ad pedes Majestatis Vestræ Sacratissimæ provoluti per viscera Misericordiæ Divinæ profundâ submissione Majestatem Vestram Sacratissimam exoratum venimus (quam Dominus Deus omni prosperitate beare, ac cuncta, quibus humana sors obnoxia, pericula avertere velit) nos planè depressos per optatam, ac tot Memorialibus humilimè expetitam resolutionem Regiâ authoritate erigere, quo & nos, partim hic præsentes Majestatem Vestram Sacratissimam reducem, & ex omnia parte salvam & incolumem tripudiantibus animis excipere valeamus, partim verò domi constituti Principales nostri, lætissimô acceptô nunciô, sua saltem non desperationi proxima suspira, in mille votis expetita, gaudia convertere, ac imperturbatâ mente, ardentibus precib⁹ pro Majestatis Vestræ Sacratissimæ, ac totius Augustissimæ Domus perennanti felicitate prosperrimoque regimine cœlum pulsare queant. Quam impetratam gratiam Cæsaream & Regiam nos perpetuis fidelitatis studiis demereri omnibus viribus conabimur, permansuri semper

Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ

Exhibitum Suæ Majestati Sacratissimæ d. 8. Septembr. An. 1681.

humilimi ac perpetuò fideles Subditi,
Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

Inti-

XXVI.

Intimatio discessus Suæ Majestatis Sacratissimæ.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis Domini Domini nostri Clementissimi nomine, Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus item ac Magnificis, nec non Egregiis ac Circumspectis, Universis Regni Hungariæ & Partium Ei annexarum Statibus ac Ordinibus, ad modernam Generalem Diætam convocatis & hîc Sopronii præsentibus, hisce quàm officiosissimè significandum.

PErcepisse benignissimè Eandem Majestatem Sacratissimam Gravamina ipsorum Statuum & Ordinum, medio eorundem deputatorum, demissè præsentata. Quia verò ante præviam dictorum gravaminum præsentationem Ebersdorffium, mutandæ auræ gratiâ, destinatum iter continuandum, jam resolverat, ideò illud suscepit quidem, verùm reditum suum exindè ita admaturandum statuit, ut ad diem 17. modò currentis Mensis, DEO auxiliante hic iterùm adesse possit. Interim autem reliquit hic præcipuos Augustissimę Suæ Aulæ Ministros, quibus de more consueto, prædictis Gravaminibus distributis, simul etiam Clementissimè demandavit, ut in revisione eorundem Gravaminum, sedulò & accuratè laborare studeant; quatenùs Eadem quoque Sua Majestas Sacratissima in reditu suo felici circa eadem Gravamina pro Paterno suo erga Inclytos Status & Ordines affectu, se resolvere valeat. Quod ipsum iisdem fidelibus Suis Statibus & Ordinibus, pro erundem notitiâ & assecuratione Clementissimè intimandum esse duxit. De reliquo Eadem Sua Majestas Sacratissima Gratiâ & Clementiâ Suâ Cæsareâ atque Regiâ, iisdem fidelibus Suis Statibus ac Ordinibus, benignè propensa permanet.

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamquem Majestatem, Sopronii Die 8. Septembr. Anno Domini 1681.

Johannes Maholany.

XXVII.

Digitized by Google

XXVII.

Nonnulla Gravamina Universorum Dominorum Prælatorum, Baronum, Magnatum & Nobilium, cœterorumque Statuum & Ordinum Inclyti Regni Hungariæ, Partiumque Eidem annexarum, Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestati, Domino Domino ipsorum Clementissimo, pro modernâ temporis ratione, (omissis hic & nunc reliquis Generalibus & ad aliud tempus, annuente quoque Eadem Suâ Majestate Sacratissimâ, obsequenter dilatis) Sopronii die 7. Mensis Septembr. Anno 1681. demissè præsentata.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine Clementissime.

POst varias, infelicis hujus Patriæ, tùm alias diversis vicibus temporum injuriâ, sed vel maximè his ab undecennio, ex tumultaria nonnullorum inquietudine causatis motibus emersas, fidelium suorum Statuum & Ordinum Regni, ruinas ac desolationes, quòd Majestas Vestra Sacratissima pro Paternâ suâ erga afflictum hoc Regnum, vel potiùs exiles tantùm ejusdem reliquias benignè declaratâ Clementiâ, præsentem Universis fidelibus suis Statibus & Ordinibus Diætam, clementer indicere, hocque præsentaneum Diætale remedium in extremis nutanti huic Patriæ, ne totaliter pessum eat, benignè adhibere, atque Cæsareâ & Regiâ Suâ Augustissimæque Imperatricis præsentiâ, Eosdem fideles suos Status & Ordines exhilarare dignata sit, in eo etiam Paternam Majestatis Vestræ Sacratissimæ pleno affectu in se effusam, Iidem Status & Ordines venerabundi agnoscunt pietatem. Pro quâ, dum partim insolentiâ tumultuantium attenuati, partim verò Militum condescendentium licentiâ, & variis exactionum muneribus ad extremum ruinati, quod condignarum gratiarum loco humili obsequio reponant, hac rerum infelicitate aliud non habent, Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ fidelitati, sanguinem & vitam suam, pro omni occasione homagiali, obligaminè devovent, Eidemque felix & diuturnum ad maturos vividæ senectutis annos Imperium, concordibus votis apprecantur.

Et quamvis inter tot funestas afflicti hujus Regni, quibus de præsenti etiam premitur, Calamitates, variasque non solùm à jurato totius Christianitatis hoste, sed & ab ipsis tumultuantibus Patriæ filiis, ac ab externo quoque in defensionem Regni introducto Suç Majestatis Saaratissimæ milite, à complurium annorum revolutione perpessas sui ruinas &

Digitized by Google

desolationes, fideles Status & Ordines Regni, universorum Gravaminum suorum, jam majori ex parte compilatorum complanationem, juxta solitos suos Diætales procedendi modos, ad mentem Conditionis Secundæ Diplomatis Regii à Sua Maiestate Sacratissimâ, vel Domino Domino ipsorum Clementissimo, stante adhuc præsenti Diæta, simpliciter exoptare non immeritò possent. Nihilominus tamen, ne in hoc periculoso rerum, & publicæ salutis discrimine, extremaque indies insistentis excidii necessitate, sibi ipsis quoquo modo deesse videantur, reflectendo etiam sese ad benignas Ejusdem Suæ Majestatis Sacratissimæ Propositiones, ac expost quoque decretaliter subsecutas Paternas adhortationes, omissis hic & nunc Generalibus Gravaminibus suis, & ad aliud commodius tempus, cum annuentia Suæ Majestatis Sacratissimæ, dilatis, sequentia solummodô Gravaminum suorum puncta, veluti præsentanea extremæ ipsorum necessitatis media, humili submissione repræsentant.

Atque siquidem jam Eadem Majestas Vestra Sacratissima, pro Paterni sui affectus, erga eosdem fideles Status & Ordines, contestatâ propensione, ad humilimam eorum supplicationem, *Electionem Palatini*, in primo statim ingressu præsentis Diætæ, ante omnes alios Tractatus Diætales, secundùm contenti Articuli 3. Anni 1622. & aliorum superindè editorum concedere, cumque in finem viros natalitiorum splendore, propriisque virtutibus conspicuos ad mentem Articuli ad Tertium Anni 1608. ante coronationem, Candidatos proponere clementer dignata esset, atque ex numero eorundem, Illustrissimus & Excellentissimus Comes Paulus Eszterhazy de Galantha, perpetuus in Frakno, Confiniorum Regni Antemontanorum & Uyvarino oppositorum Generalis &c. de Majestate Vestrâ Sacratissimâ, Augustissimaque Ejusdem Domo Austriacâ, ac Patria etiam ista in se, & Prædecessoribus suis benè meritus, pari omnium consensu & voto in Regni Palatinum electus & sublimatus extitisset; ulteriùs etiam confidunt humillimè, quòd eundem jam Principem personam, & fidelem suum Servum, in pristinâ suâ Jurisdictione, & authoritate Palatinali juxta conditionem Septimam benigni Diplomatis Regii, & in easdem citatas Leges, prout & Articulum 30. 1659. Matthiæ Regis Decreti 5. Articulos 1. 2. 3. 4. 5. & 6. de Palatinatu subnexos, nec non Articulum 18. 1608. ante Coronationem, Eadem Sua Majestas Sacratissima, benignè conservare dignabitur, humillimè supplicantes, ut habitô jam Domino Comite Palatinô, sublatisque priori Locumtenentiâ & Guberniô, contra Legis Regni introductis, imposterùm, in casu mortis Palatini, Idem Articulus 3. Anni 1608. ante Coronationem editus,

tus, modis, formis & conditionibus inibi declaratis, & sub incursu pœnæ ibidem specificatæ, in proximè attunc celebranda Diæta desumendæ, exactè observentur & effectuentur, ac à modo imposterùm hujusmodi Locumtenentia contra præscriptum Articulum introducenda, penitus abrogetur. Interim Universi Status & Ordines Regni, pro solito, quô erga hanc afflictam Patriam, secundùm gestum præmentionatæ Locumtenentiæ munus & officium Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Archi-Episcopus Strigoniensis ductus fuisset zelo & amore, eidem meritas reponunt gratiarum actiones.

Cæterùm verò, cum mala hæc, quibus à longa Annorum serie fideles Status & Ordines premuntur, principaliter ex læsa Regni & Regnicolarum Libertate, aliàs vi Conditionis Primæ Diplomatis Suæ Majestatis Sacratissimæ Regii, Legumque Patriarum ibidem citatarum, per omnes inviolabiliter observanda promanassent, Ideò ejusdem læsæ suæ Libertatis Gravamina, primo statim loco pro ponere necessitantur.

1. Et Primò quidem, præter alias avitæ libertatis ipsorum, hactenùs mille modis violatæ labefactiones, malo suo, & notabili totius Patriæ detrimento experti sunt Status & Ordines, Pacem cum Turcis, sine scitu & Consilio Hungarico, contra Conditionem Tertiam, & Decimam tertiam Diplomatis Regii, nec non Articulo 50. 1655. & 13. 1659. fuisse conclusam, ac neque postea unquam cum iisdem debito modo communicatam: cum tamen de omnium Gentium jure, nihil magis consultiùs foret, quàm ea, quæ omnium fidelium fortunas, & vitam, adeoque Patriam ipsam concernunt, cum gente nativa, & Patrio consilio tractare & terminare; quælibet enim gens, & natio melius & utiliùs quàm externæ nationis homines, quibus videlicet non adeò exploratus esset Regni & locorum Status, consulere & providere novit: & hinc evenit, quod Turca sub hoc titulo Pacis conclusæ, non contentus potentiæ suæ terminis, abjectis Sitvatorokianæ Pacis Conditionibus, & non obstante novissimâ hac Regno quoad Conditiones ignotâ conclusione, ne dum ab excursionibus se contineret, quin potius instar rapidissimi fluminis sese effundendo, diversis sub prætextibus ex omni parte, Regnum vastat, depopulatur, sub tributum cogit, innumeras animas Christianas, partim abducit, Mahometismô inficit, diramque servitutem servire adigit; partim verò minacis gladii internecione delet, taliterque à tempore capti Varadini, florentissimam Hungariæ partem Cis- & ultra Tybiscum devastavit, & subjugavit, devastatque & subjugat, etiam de præsenti. Non absimiliter fit à tempore occupati itidem Vyvarini, dùm dictim in Comitatus Hontensem & Zoliensem, Barsiensem, Trenchiniensem, Posoniensem,

 Com

Commaromienfem, Nitrienfem, ac alios penè univerfos, hæreditariis Suæ Majeftatis Sacratiffimæ Provinciis conterminos, ferrô & igne graffatur, Civitates, Oppida, Curias Nobilitares, Pagos (ni jugum fubire velint) depopulatur, evertit, populum in captivitatem abducit, & quicquid animus hoftilis concipere poteft, undiquaque pro libitu exequitur, dedititios, in priftino cum eodem inito pacto, & tributo, laboribusque non confervat, fed eosdem augendo, plurimarum Poffeffionum Incolas ferendo oneri fimilium tributorum & laborum impares, diris cruciatibus, & incarcerationibus: ubi verò fubintelligeret, aliquam Poffesfionem propterea habitacula fua deferere meditari, comprehenfo Incolarum uno atque altero, integris etiam annorum revolutionibus eosdem compeditos detinet, & non fecùs, quàm ad aliarum vicinarum posfesfionum fidejusfionis cautelas dimittit, infolitas prætereà vecturas eâ folummodò arte, ut mifera plebs dedititia pecuniaria easdem redimat folutione, imponit; demortuorum aquâ vel igne, aut quopiam alio fato interemptorum, vel fuffocatorum homagia, in copiofa numeratione fummæ extorquet, inufitatas Decimationes obfervando, non in manipulis, fed granis Decimalem proventum longè excedentibus, etiam à Nobilibus in dedititiis, ex propriis æque Allodiaturis adminiftrari facit, authoritatem Chriftiani Magiftratus impedit, Judices in rectificationibus metarum, repetitionibus fugitivorum Colonorum, & peragendis Inquifitionibus procedentes diverfimodè turbat, vexat, aliaque infinita mala in oppreffionem Chriftianitatis vergentia, quæ vix concipere, tanto minùs papyro apponere integrum effet, juxta belluinam libidinem & ferocitatem fuam, exequi officii & muneris ducit, brevi reliquias quoque afflicti Regni confumturus, factaque fibi ifto modo per Hungariam (quæ antehac Antemurale Chriftianitatis, & propugnaculum vicinarum Provinciarum fuerat) viâ, etiam vicinis Regnis & Provinciis, vim & ferrum illaturus, nifi communi permanfioni maturè provideatur. Supplicant proindè Status & Ordines Regni Suæ Majeftati Sacratiffimæ humilimè, quatenùs prætactis Conditionibus Tertiæ, & Decimæ tertiæ Diplomatis, præcitatisque Articulis omni ex parte fatisfacere, omniaque negotia hujus Regni cum Confilio Hungarico tractare, atque Refidenti fuo Cæfareo in Porta interteneri folito, etiam Nativum Hungarum ad mentem præfcriptarum Legum adjungere, advenienteque termino pacis, vel novam Pacem per aliquot annos (donec videlicet Imperialia negotia ad optatum perduci poffint finem) cum Turca, fine avulfione tamen & abalienatione limitum Regni, modô prævio inire, & in tali cafu difficultates inter Status & Ordines Regni, ipfosque Turcas, ratio-

ratione subjugationis Pagorum, erectionis item & limitationis metarum, tributique ultra veterem morem & consuetudinem non adaugendi, sed ad eundem priorem modum reducendi passim subortæ & vigentes, componantur & rectificentur, similisque methodus etiam in pacificationibus cum vicinis Provinciis observetur: Vel verò si Pax modô prævio ineunda, cum notabili Regni damno concludi non posset, aliam sub termino præsentis Diætæ cum fidelibus Statibus & Ordinibus rationem, ut Regnum à potente hoc hoste, excursionibusque, depopulationibus ac subjugationibus ejusdem conservari, locaque post amissum Varadinum & Uyvarinum subjugata, recuperari possint, adinvenire dignetur.

Interim verò iidem fideles Status & Ordines, ne in hoc etiam afflictissimo rerum suarum statu & discrimine fidelitati ipsorum incontaminatæ erga Suam Majestatem Sacratissimam & Augustissimam Domum Austriacam, continuis semper & successivis belli pacisque temporibus sustentandæ, adeoque defensioni dulcissimæ ipsorum Patriæ, & vicinæ Christianitatis, saluti permansionique defuisse arguantur, in casu hostilis impetus, extremæque necessitatis, belli duntaxat aperti tempore, pro primo & præcipuo conservandi medio ex parte Regni defensivè, vel etiam offensivè subministrando, juxta modalitatem per majores quoque ipsorum ad mentem seu sensum Articuli 9. Anni 1601. Art. 7. Anni 1596. & Art. 21. 1622. nec non 7. 1659. generalitèr se ac personaliter insurrecturos offerunt, tali cum additione & declaratione, ut Universi Regnicolæ cujuscunque tandem conditionis vel dignitatis, uti & Fiscus Regius, nec non Cameræ Montanæ Arces & Bona in Comitatibus possidentes, ultra personalem ipsorum insurrectionem à singulis viginti domibus non dedititiis, sivè integræ sivè mediæ sessionis, aut quartalisticis vel Inquilinariis mixtim computandis, ac per Vice-Comitem ac Judicem Nobilium, ubi necessum fuerit, etiam per Inquisitionem limitandis (demptis tamen desolatis) ex parte quidem Sua Domini Terrestres, unum equitem propriis sumptibus, ex parte verò subditorum, sumptibus eorundem unum peditem benè armis instructos, in Castris statuere & intertenere, à dedititiis verò quadraginta domibus pari modo computandis ac limitandis, unum equitem & alterum peditem conducere & expedire, ac tam diu, quàm diu talis summa necessitas duraverit, juxta Articulum 7. Anni 1659. exercituare debeant ac teneantur: qui verò in diversis Comitatibus Bona possident, tales de omnibus bonis suis, illis in diversis Comitatibus existentibus, equites ab inde provenientes secum in exercitu ejus Comitatus, ubi personalem faciunt residentiam, modo prænotato intertenenant. Pedites verò à subditis subministrandi, sub vexillo dunta-

xat illius Comitatus, in quo resident, militare teneantur; Pedites tamen à Domibus & Bonis dediticiis per Dominos Terrestres conducendi, penes eosdem Dominos maneant, & ad hujusmodi exercitationem Universi Domini Prælati, Magnates & Nobiles possessionati omninò sint obligati. Capitula etiam & Conventus, Monasteria & Moniales, Abbatiæ ac Præpositurae Capitulis non incorporatæ, prout & Cameræ Montanæ, suadente Articulo 13. Anni 1647. ad instar aliorum Nobilium Possessionatorum, ab omnibus suis bonis, modò præmisso, Equites & Pedites in defensionem suam, Regni & Ecclesiarum D E I expedire, & in Castris intertenere debeant; ac insuper Capitula & Monasteria unum vel alterum de medio sui in Sacris initiatum, pro Divinis ibidem peragendis, dictante Articulo 3. circa finem Anni 1552. in Castra submittere; Abbates verò & Præpositi Capitulis non incorporati etiam minùs possessionati, & Episcopi Titulares (siquidem Nobilitari gauderent prærogativâ) in personis suis, modo præmisso, insurgere teneantur. Plebani quoque pauperiores juxta Articulum 2. & 3. Anni 1545. à decem ipsorum personis unum Equitem conducere & pro defensione Patriæ in Castris tenere sint obligati, cum ea tamen declaratione, ut de qualitate exolutionis conducendi per ipsos Equitis, inter eosdem Plebanos, Vicarii, Archi-Diaconi vel Vice Archi-Diaconi ipsorum limitationem peragant; ditiores verò Parochi, Altaristæ, sive rectores Altarium, & Magistri Capellarum, Capitulis non incorporati, ducentos circiter florenos annuos in proventibus habentes, nec non Beneficiati Sopronienses, & alii similes, præsertim in Articulo 25. Anni 1545. declarati, qui ducentos similiter florenos annuos in proventu possident, ratione beneficiorum suorum, singuli singulos Equites conducant & expediant. Liberæ quoque & Montanæ Civitates, prouti & privilegiata Oppida, quæ Jura possessionaria in medio Comitatus possident, ad instar Nobilium possessionatorum à singulis Viginti domibus in Comitatu possessis Equites & Pedites, modo præmisso, administrent. Cives quoque & alii quicunque, etiam Extranei bona possidentes, pari modo à singulis Viginti domibus singulos Equites submittant: Oppida æquè & Pagi Privilegiati, vel aliter libertati sivè dicati sint, sive non, sicut & Cumani, Jazyges, & Philistæi, ac alii Libertini Fiscales, à singulos viginti domibus unum Peditem expediant, & in Castris teneant; Libertini tamen Dominorum Terrestrium ad militiam destinati & obligati, nec non Prædicales Ecclesiarum, imò & haydones per Dominos Terrestres ad militiam duntaxat privilegiati, penes Dominos Terrestres ad rationē ipsorum militare debeāt. Oppida verò haydonicalia, per Suam Majestatē privilegiata, more solito insurgant, à reliquis haydonibus per Dominos Terrestres ad militiam non privilegiati, & aliis hinc indè dispersis, domos

mos

mos habentibus, & servitia Colonicalia administrantibus, Domini quidem ipsorum Terrestres à singulis itidem Viginti Domibus unum Equitem, ipsimet verò Haydones unum Peditem expedire teneantur; Rasciani quoque non deditirii, tàm Nobiles, quàm Ignobiles in defensionem Patriæ personaliter insurgere debeant. Nobiles etiam unius sessionis juxta Articulum 33. Anni 1542. Constitutionum Novisoliensium, à singulis domibus viritim consurgant, siquidem etiam Nobiles Possessionati in persona sua, modo præmisso, insurrecturi, & insuper à Subditis quoque suis, ordine superiùs declarató Equites & Pedites administraturi essent. Armalistæ similiter universi personaliter in Castra prodire, & militare pro Patria tenentur. Qui autem in partibus deditiris residerent, singuli duo pro uno Equite conducendo ad manus Vice-Comitis contribuant. Urburarii verò, sicut & molitores ac braxatores, proprias molas, Braxatoriaque habentes, ex arenda vel aliter Urburas tenentes, ex annuo lucro ducentorum florenorum, per Comitatum conscientiosè limitando, suadente Articulo 15. Anni 1545. singulos Equites expediant. Viduæ possessionatæ, & alii ad belligerandum inhabiles, tàm Prælati, quàm Magnates & Nobiles, per senium vel ægritudinem in personâ suâ propriâ ad Castra procedere non valentes, aliique Nobiles servitiis Suæ Majestatis & Regni, vel aliorum Dominorum Prælatorum, Magnatum & Nobilium adstricti, vel stipendia in Confiniis merentes, suadente articulo 13. Anni 1545. & Articulo 42. Constitutionum Novizolensium, Anni 1542. & ejusdem Anni Constitutionum Posoniensium Articulo 22. & 23. loco suarum personarum equites submittant; & nihilominùs à bonis suis, modo supra declarato, Equites ac Pedites in Castris interteneant. Ex indivisis verò duobus vel tribus fratribus, dictante Articulo 43. Constitutionum Novizoliensium Anni 1542. unus tantùm illorum in personâ militare, ac nihilominus è bonis modo suprascripto exercituare & militem submittere, universi etiam indivisi teneantur. Extranei demum quæstores, sivè in Hungaros recepti sint, sivè non, & alii quoque Extranei cujuscunque sint nationis, per Regnum quæstum exercentes, prouti etiam Græci, Judæi, Polom & Anabaptistæ, ad instar Regnicolarum per Comitatum proportionaliter taxentur, ac in defensionem communis Christianæ Republicæ concurrant. A parte verò Dominorum Procerum & Magnatum Extraneorum in Regno non possessionatorum iidem Regnicolæ sibi spem firmam pollicentur, eosdem in occurrentibus afflicti Regni necessitatibus, præcipuè tempore belli, favorem & animorum suorum propensionem, pro solito suo erga idem afflictum Regnum zelo contestaturos. Dominium quoque Mattersdorff, alio nomine Schaffenek, veluti Bonum Reginale, suadente Articulo 16. Anni 1545. à singulis Viginti domi-

Digitized by Google

domibus singulos pedites expediat. Casu verò, quo aliqui Regnicolæ, vel alii superiùs declarati, præmissam exercituationem in toto vel in parte negligerent, ex tunc Domini quidem Prælati, Abbates, Præpositi, Capitulis non incorporati, Magnates & Nobiles Possessionati, Specialiter & singulariter, Capitula verò, Monasteria, Conventus & Claustra Monialium, ac Comunitates præmissæ, collectivè pro singulis neglectæ ex parte sua militiæ mensibus in homagiis suis, & insuper pro toto exercituationis tempore inæstimatione comuni bonorũ suorum; Nobiles verò Armalistæ, ac alii supra scripti ad militiam obligati, in pœnâ per Comitatũ pronuncianda; Subditi verò pro singulis Peditib⁹ ex parte sua non mittendis, ad singulos menses in homagio vivo singulorum peditum ad Castra non mittendorum convicti sint eo facto, & convictionem hujusmodi ex parte quidem Dominorum Prælaterum & Magnatum Dominus Comes Regni Palatinus, ex authoritate officii sui per se, vel per alios, quibus id muneris delegaverit; ex parte verò reliquorum Regnicolarum universorum, tàm Nobilium, quàm subditorum, & aliorum superiùs declaratorum, tàm Ecclesiasticorum quàm Secularium, Supremi & Vice-Comitis Comitatuum, sub amissione officiorum suorum in Decima parte, pro labore & usu suo, in reliqua verò parte, pro Publico bono sine omni litis strepitu, etiam cum assistentia Comitatus irremessibiliter exigere & exequi, eandemque pœnam ex parte Dominorum Prælatorum & Magnatum exigendam, Dominus quidem Comes Palatinus in publicas necessitates Regni, Memorati verò Supremi & vice-Comitis, similiter in militares Comitatuum necessitates, sub ratione per eosdem Vice-Comites Comitatui danda, convertere & applicare debeant ac teneantur: quam quidem generalem ac personalem insurrectionem, mox dum prænotatæ extremæ necessitates, vel hostilitates supervenerint, Sua Majestas promulgare confestim dignabitur, & Status etiam ac Ordines tempestivè sese ad eadem apparare erunt obligati. De particulari autem Regnicolarum expeditione Articulum 88. Anni 1635. confirmandum, ac deinceps quoque observandum (salvâ Regnorum Croatiæ & Sclavoniæ hactenus ibidem observatâ & usitatâ insurrectionis methodô pro iisdem permanente) cupiunt Status & Ordines Regni.

2. Miserandum sanè afflicti hujus Regni Statum, deplorandamque Conditionem, Status & Ordines anxiâ cordium amaritudine ac mœrore in ea quoque parte contemplari & persentiscere coguntur, quòd videlicet milites extranei à compluribus abhinc præteritis annis nonnunquam formato Armadarum exercitu, & copiosiori numero, aliquando verò per Legiones & Centurias ex hæreditariis Suæ Majestatis Sacratissimæ Provin-

vinciis, plerumque etiam absque ulla Commiſſariorum deductione, ex improviſo, ſub ſpecie defendendæ hujus Patriæ, & ex cubiarum contra hoſtes pro eadem ſubeundarum, in hujuſce Regni diverſas partes turmatim ingreſſi & contra Conditionem Decimam Tertiam Diplomatis Regii, tempore felicis Suæ Majeſtatis inaugurationis & coronationis elargiti, Legesque Regni ſuperindè ſancitas, ſignanter verò Articulum 25. 1659. aliosque ibidem citatos inducti, pro ſuo beneplacito Stationes & Quartiria ſibi ipſis præfigendo, indifferenter æquè reſidentias Nobilium, & Curias Nobilitares, Domosque Præſidiariorum nativorum; aliàs contra hoſtem Chriſtiani nominis naturalem, continuis vigiliis & periculo vitæ excubantium, æquè ac Ruſticorum occupare, in easdem condeſcendere, macella & Educilla pro ſe uſurpare, præterea diverſi generis quæſturas exercere, taliterque numeroſas gratuitas vecturas à miſerabili plebe expetere, & in caſu non præſtationis ad Pagos manu militari excurrendo, miseræ plebis ſupellectilem diripiendo, ipſosque Incolas captivos & vinctos abducere, & nec aliter, quàm benè lytratos dimittere nil penſi ducunt. Nobiles pariter ac Ignobiles, miſerosque Incolas multifariis, qualiumcunque victualium, vinique & cereviſiæ, imò & cremati, prout & Pabuli, ac fœni rigoroſis & violentis extorſionibus gratuitis, ita & vecturis jugalibus cum plurimorum jumentorum enervatione, ac interitu, & ſubindè pecuniæ quoque, aromatibus, & Quartiriorum aut Stationum mutationibus à miſera plebe extorquere intentarint, exactionibus mirum & horrendum in modum afflixerint, atque ad extremam penitùs egeſtatem redegerint; nonnulli diverſis in locis Caſtella, Domos & Curias Nobilitares, Parochias, imò ipſas quoque Sacras ædes violenter invadentes expilaverint, & ſacrilegè violaverint, ablatis ex iisdem Calcibus & apparamentis, aliisque Suppellectilibus; Magnates æquè ac Nobiles, prouti & Comitatuum Commiſſarios, ac Liberarum Regiarumque & Montanarum Civitatum Cives, ruralesque perſonas, diris verberum plagis, & lethalibus vulneribus affecerint, honeſtas fœminas, imò & virgines effrænatâ libidine violaverint, nonnullos innocentes miſeros homines crudeli nece trucidaverint, aliaque cogitatu, dictu & auditu horrenda flagitia & in cœlum clamantia, Divinamque vindictam provocantia enormia ſcelera impunè tranſire præſumpſerint; quosdam Venerabilis Capituli Canonicos in deſpectum Cleri captivaverint, arreſtaverint, & indecenter tractaverint; præterea nonnullorum etiam Comitatuum Vice-Comites ac Judices Nobilium deſpectuosè habuerint, & ſæpius areſto mortificaverint; imò ipſis Univerſitatibus Comitatuum occaſione publicorum negotiorum in unum

congregatis, quòd ad impossibilia ejusdem militiæ extraneæ mandata assurgere non potuerint, quasi non cum Patriæ Civibus, & Suæ Majestatis fidelibus, verùm abjectissimis mancipiis res ageretur: Similes arestationes, patibulorumque & suspensionisque interminationes, ac severas comminationes intentaverint, Gentem nationemque Hungaricam indifferenter & sine discrimine fidelium Suæ Majestatis, Juraque & Judices Regni & Comitatuum contemptuosis vituperiis ac calumniis proscindere nîl pensi duxerint. Non deessent etiam plurima alia prænotatæ militiæ Germanicæ enormia & minùs enumerabilia flagitia, deprædationes, plurimorum pecorum agminatim factæ abactiones, Oppidorum & Pagorum depopulationes, Suæ Majestati Sacratissimæ amarissimis cordium singultibus repræsentandæ, quibus benignissimas Suæ Majestatis aures molestare abhorret animus, propter quas quidem intolerabiles afflictiones & pressuras, miserabiles complurium Oppidorum & Pagorum Incolæ, omnibus penitùs vivendi modiis ac facultatibus destituti & exuti, maximo Suæ Majestatis, Confiniorum & Regni detrimento, sedibus suis emigrare, & ad Partes Turcicas sese transferre coacti fuissent, cum desolatione ditionum Suæ Majestatis, Otthomannici verò Imperii singulari augmento: Unde ad mentem etiam benignarum Suæ Majestatis Propositionum, hoc olim florentissimum suum Hungariæ Regnum tot malis pressum, atque non minùs intestinis seditionibus turbatum, & perniciosis motibus concussum ac divulsum, quàm extranei quoque militis, prænarratis afflictionibus & pressuris fatigatum ac suppressum, sibique jam deforme à pristino florente statu longè alienum in benignissimo Suæ Majestatis Sacratissimæ paterno affectu, cura & sollicitudine, veluti unico post DEUM asylo spem firmam collocando, universi Status & Ordines perquam demissè supplicant, dignetur Sua Majestas Sacratissima tantas afflicti Sui populi, fideliumque Suorum Regnicolarum ærumnas & calamitates Paterno cordi sumere, innatâ Cæsareâ & Regiâ benignitate ac misericordiâ tangi, atque hoc in passu efficacia remedia adhiberi curare, quatenùs nempè tot oppressionibus jam finis imponatur, ejusmodique extranei militis nocivæ condescensiones, ad normam præcitatæ Conditionis Decimæ Tertiæ benigni Diplomatis Regii novissimi, & Articulorum 2. quidem 1608. ante Coronationem, prout & 25. 1659. & 24. 1625. Annorum imposterum præcaveantur, neque extranei milites deinceps sine præscitu consensuque Regni introducantur, introducti verò, sedatis & compositis, præsentis Diætæ beneficio, modernis Regni tumultibus, ad mentem præcitatorum Articulorum ipso facto indilatè ex hoc Regno totaliter educantur. Medio verò tem-

pore,

pore, donec præſcripti motus inteſtini ſedentur,almaque pax cum Turca modo prævio, cum conſilio Hungarico ineatur, de eodem milite extraneo, in certo numero per Regnicolas tolerando, & ad Confinia Turcis viciniora per totum Regnum proportionaliter diſtribuendo, cum Statibus & Ordinibus Regni, ſtante præſenti Diæta, tractetur & concludatur:qui quidem miles taliter tolerat⁹, & diſtributus,juxta contenta præcitatarum Regni Legum, ſine quovis Incolarum Regni onere, ſub ſtrictisſima diſciplina,directam & immediatam à Domino Comite Palatino, Locorum item ſupremis ac Vices gerentibus Capitaneis, Generalibus item Commiſſariis nationalibus, in Superiori Cis- & ultra Danubianis partibus, per Suam Majeſtatem Sacratiſſimam conſtituendis, vel verò à Supremis, & Vice ComitibusComitatuum in condeſcenſione & ordinatione Quartiriorum ſub amiſſione officiorum ſuorum, dependentiam habeant, neque in condeſcenſionibus impoſterùm quorumvis militum ſors neceſſariis, & prævió modô ex conſenſu Regnicolarum fiendis, Eccleſiaſticæ reſidentiæ, & Eccleſiæ, ſeu Templa & Sacella, Domusque Nobilium, ac Curiæ Nobilitares in Civitatibus, Præſidiis, Oppidis, Poſſesſionibus, aliisque quibusvis locis exiſtentes, infeſtentur, & diverſionibus ſeu quartiriis onerentur: ſimiliter & omnes vectigalium, ſive quorumlibet Cenſuum in fluviis Wagh, Dudvagh, ad Leopoldopolim, in dumetis Karkocz, item ſupra Jaurinum in Rapcza hidgya, nec non ad Poſonium, & in Tybiſco ad Tokayinum, in pontibus item decurſu fluvii Wagh circa Trenchinium, Leopoldinum, Szeredinum, Sellyam, Guttham, & Commaromium, præjudicioſæ exactiones ſeriò præcaveantur, ad mentem Articulorum 61. & 62. Matthiæ Regis Decret 6. Item Articuli 39. circa finem Anni 1647. nec non Articulum 32. Anni 1618. in excedentes hactenùs modo prærecenſito, ac nimis licentioſè hoc afflictum Regnum taliter convellentes, prædictos tàm Officiales, quàm Gregarios milites extraneos ſeriò animadvertatur: ex penſæ verò & damna per eosdem illata, ſivè ex eorundem damna inferentium, & innumeras expenſas cauſantium militum & Officialium ſtipendiis, ſeu quocunque alio adinveniendo medio refundantur, innuente hoc Articulo 5. Anni 1659. Siquidem ex ſalutaribus quoque Suæ Majeſtatis Sacratisſimæ Propoſitionibus luculentèr conſtaret, ut bona diſciplina apud omnes milites ſine nationis diſcrimine obſervetur. Ideò Suæ Majeſtati Sacratisſimæ benignè curæ eſſet, ut omnibus inſolentiis, rapinis & deprædationibus occurratur: Et quidem transgreſſores ſeverisſimè puniantur, ut tandem hoc afflictum Regnum, & ob tantas malorum preſſuras fatiſcentes Regnicolæ, ſub feliciſſimo Suæ Majeſtatis Sacratisſimæ regimine, ad mentem earundem

benigniſſimarum Propoſitionum, deſideratæ illi ſaluti, paci, & tranquillitati, prouti & ſecuritati, almæ pacis amœnitate deinceps perfrui, & ad ulteriora quoque Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ ſervitia, ipſamque, caſu ſic ferente, mortem, pro fidelitate Suæ Majeſtatis oppetendam, novas vires reaſſumere valeant.

3 Occaſione excitatorum, ex inquietudine nonnullorum inteſtinorum motuum, univerſalis ferè Campus ad tollendam præſcriptam avitam, majorum ſuorum ſanguine partam libertatem, apertus, omnia ferè turbato & confuſo rerum ordine & negotio ab executione inchoato, in everſionem dictæ Libertatis & prærogativæ Nobilitaris agebantur; ubi enim vigore Conditionis Primæ benigni Diplomatis Regii, ac juxta Titulum 9. Partis 1. Operis Tripartiti, ſicut & Articulum 34. Anni 1613. ac alias poſitivas Regni Leges, nemo Nobilium ad cujusvis ſimplicem querelam, ſeu delationem damnificari deberet; Conditione item 5. ejusdem Diplomatis Regii, & Articulo 42. Anni 1649. aliisque Legibus inibi contentis, ne Regnicolæ extra conſuetos Judiciorum terminos & proceſſus quibuspiam Commiſſionibus inviti aggraventur, coramque Judicibus Regni deputatis commiſſionaliter, tanto minùs externis Juri ſtare coguntur vetitum eſſet. Sed & notoriè delinquentium hæredes, ac reliqui eorum Succeſſores à delictorum parentum ſuorum reatu jure quoque Divino enodati, confiſcatione ratarum ex bonis ipſos concernentibus portionum, juxta Ludovici Regis Decret. 1. Articulum 19. Uladislai Decret. 1. Articulum 74. Matthiæ Decret. 6. Articulum 56. partis ſecundę Tit. 60. Novellarum denique Conſtitutionum Anni 1659. Art. 104. in caſu quoque criminis læſæ Majeſtatis, & reſpectu Tituli 14. præcitatæ Partis 1. tanquam ſpeciem notæ infidelitatis in ſe comprehendentis, damnificandi non fuiſſent: his nihilominùs annorum revolutionibus contra præſcriptas Regni Leges Diplomate Regio firmatas, multi ſine præviâ citatione (uti inter reliquos Comes Georgius Illyeshazy) capti, & in areſtum poſiti, ac nonniſi poſtea citati coram incompetentibus Judicibus deputatis, & foro Delegatorio, ac etiam præinſinuati Gubernii exteræ nationis Judicibus nec non Generalatu & Adminiſtratione Caſſovienſi, aliisque potentioribus, ad Juri ſtandum peremptoriè adacti, ſuis in perſonis, & bonis mobilibus, pariter & immobilibus, extremam executionem ſunt perpeſſi: quorum hæredes & Succeſſores, Uxoresque, ac Relictæ Viduæ, ſuarum quoque ratarum portionum occupatarum jacturam lugere neceſſitarentur, earundemque dominio & poſſeſſione exceſſent etiam de præſenti, cum extremâ Illuſtrium ac Nobilium familiarum ruinâ: à multis verò pro ſe, ac aliis quoq; certæ fidejuſſionales, Reverſales, Contractuales

Digitized by Google

les & Cessionales, Generalatui & Administrationi Cassoviensi, aliisque nonnullis potentioribus, similiter delegato Judicio in præjudicium prærogativæ Libertatis Nobilitaris adacti, dare lytraque pecuniaria ex eo extorsivè deponere debuerunt. Proindè iidem Status & Ordines Suæ Majestati Sacratissimæ humilimè supplicarent, quatenùs prædeclarato modo, convulsæ eorundem communi libertati, in præmissis præsentissimo remedio succurreretur, ejusmodique inordinatis & insolitis processibus, etiam extra Regnum qualitercunque interventis, executionibusque exindè, vel privatâ etiam & propriâ Fisci authoritate subsecutis, præscitisque Fidejussionalibus, Reversionalibus, Contractualibus & Cessionalibus coactivè elargitis, simpliciter & in genere in perpetuum abolitis, & articulariter abrogatis, atque cassatis, à modoque imposterùm attentare severè prohibitis; universi in personis vel bonis, tàm mobilibus, quàm immobilibus, aut etiam Literis factum eorundem concernentibus damnificati, non minusque bonis, vigore hujusmodi extortarum Fidejussionalium, Reversionalium, Contractualium & Cessionalium, per quoscunque & qualitercunque privati, eorundem heredes, Uxores & relictæ Viduæ, aliique successores, stante modernâ Diætâ, simpliciter & ipso facto, cum restitutioni fructuum à tempore factæ occupationis & ademtionis perceptorum, clementer in integrum restituantur, idemque Comes Georgius Illyeshazy liber dimittatur: Imposterum autem alia, ut præmissum est, Legibus Regni vetita, & Nobilitari prærogativæ atque Libertati præjudiciosa judicia, intra & extra Regnum, contra Regnicolas non instituantur; verùm Fiscus Regius Suæ Majestatis, in Casibus notam infidelitatis, aut crimen læsæ Majestatis præseferentibus prosequendis, adversus Regnicolas ad mentem Tituli 75. Part. 2. item Uladislai Decret. 2. Articulo 3. & Anni 1542. Constitutionum Posoniensium Articuli 43. & 44. procedat, medioque talis Processus juxta Ludovici Regis Decret. 1. Articulum 19. Uladislai Decret. 1. Art. 74. Matthiæ Decret. 6. Art. 55. & 56. Anni 1659. Art. 104. & Partis 2. Oper. Tripart. Tit. 60. Supracitatum, non universa, sed ad portionem duntaxat taliter condemnandæ & convincendæ personæ cedentia bona adjudicentur & exequantur. Portionibus reliquorum hæredum & successorum pro iisdem salvis & integris permanentibus.

Siquidem Statibus & Ordinibus Regni, sanè per modum Publici Gravaminis, medio Nobilium & Privilegiatorum Oppidanorum Sabariensium lamentabiliter repræsentatum extitisset, quod iidem per Illustrissimum ac Reverendissimum Dominum Episcopum Jauriensem Georgium Szecheny in suis antiquis Privilegiis per complures gloriosos Suæ Majestatis Sacratissimæ Prædecessores Hungariæ Reges confirmatis, & bis quo-

Digitized by Google

que Diætaliter roboratis, variis modis & excogitatis viis turbarentur, ſumptuoſisque impeterentur litibus, perſonarum quoque ſuarum incaptivationibus infeſtarentur, nec ſecùs niſi ſub mulctâ dimitterentur, Nobilitaris prærogativæ prejudicio, benignorumque Privilegiorum convulſione, ac certi Contractus coram prædictis Statibus & Ordinibus in ſpecie producti, villpendio manifeſtiſſimis: pernecesſariò itaque viſum eſt (ex quo hoc illegali in paſſu Communis Regni Libertas læſa eſſe dignoſcitur) quatenus Sua Majeſtas Sacratiſſima negotium idem, ſtante adhuc præſenti Diætâ, ad mentem dicti Contractus eatenùs initi, Articulariter per modernum Dominum Comitem Palatinum, adhibitis nonnullis Tabulæ Regiæ Judiciariæ Juratis aſſeſſoribus, ac aliis Juriſperitis Viris, quos ad manus habere poterit, peremptoriè ſecundùm DEUM & ejus Juſtitiam, partes inter præmiſſas debitâ cum ſatisfactione judicialiter & effectivè determinetur. Conſimiliter negotium Nobilium Meszlenienſium in antiquis ſuis quoque Juribus, Privilegiis, Immunitatibus per eundem Dominum Epiſcopum ſummè injuriatorum, beneficio modernæ Diætæ, utrum ad Jus Regium ſeu Coronæ, vel verò Epiſcopatum Jaurienſem pertineant, ex producendis eorundem deſuper Privilegiis, Idem Dominus Regni Hungariæ Palatinus revidere; nec ſecus Cauſam ſeu differentiam Prædialium ſedis Deveceſer. & in Bagyok diſcutere & determinare: quò ſic compertâ rei veritate, eorundem Privilegia Articulariter conſolidentur, ac durante, uti attactum eſſet, præſentis Diætæ tempore, querulantibus debita ſatisfactio impendatur.

Non ſine Publicæ Libertatis Nobilitaris læſione, adeoque communi animorum ſenſu ſignificarent & id quoque Status & Ordines Regni, quòd Officiales Dominii Ovar, ſeu Altenburgh in Comitatu Maſſonienſi exiſtentis, Subditos & Incolas Oppidi Galos, & Poſſeſſionem Teithin, Winden, & aliorum locorum quovis modo delinquentes, imò etiam innocentes manu quoque violenta capiunt, areſtant, in captivitatem & Carceres detrudunt, & pro libitu ac arbitrio detinent, judicant & puniunt. Cùm tamen ad hæc bona, tanquam Nobilitaria, & ad poſſeſſores jus gladii habentes ſpectantia, præfatum Dominium nihil prætenſionis, præter exactionem Decimarum ab Epiſcopatu Jaurienſi pecuniis arendari ſolitarum habeat & exercere poſſit. Proinde ſtatuendum cenſerent Iidem Status & Ordines, ut memorati Officiales à præmiſſis actibus Articulariter coërceantur, & de præteritis penes Breves Articulos Jure conveniantur.

Et quia Ruſticorum etiam his annorum revolutionibus, in tantum excreviſſet audax temeritas, ut legitimis ſuis Dominis Terreſtribus, non ſolùm

Digitized by Google

lùm privatim, sed etiam generaliter per integros districtus,rebelliosè hostiliter sese opponere(uti essent Oerseghienses,Illustris Familiæ Batanianæ subditi) etiam de præsenti non reformidarent; Ideò ut contra les Rebelles, & hostiliter sese, ut præmissum esset,contra Dominos suos errestres Opponentes Subditos, ipsi Domini eorundem in sede suâ Doiniali, juxta legem & Consuetudinem Regni, impedimento quorumvis sque omni, procedere possint, Justitiæ consentaneum fore censent egnicolæ.

4. Magno præterea, & vix condignè æstimari valente, totius afflicti egni damno,& Libertatum suarum præjudicio experti sunt Regnicolę tolerabilia illa Repartitionum, Accisarum & variarum id genus de nooe,titulo & re, nunquam ante cognitarum Contributionum onera, ntra eandem Conditionem Primam benigni Diplomatis Regii,& Articlum 1. Uladislai Decret. 5. introducta; qui quidem damnosus abusus, antam desolationem plurimis attulerit Regnicolis,docent Loca, Civies,Oppida & Pagi,Incolis nudati, desolati, plerumque etiam solo aduati; hinc esset,ut extranei bellici Officiales licentiosè, & in Nobilitan (quam jam plerique ritu mancipiorum tractant,& in afflictissimum pulum quævis designandi facultatem sibi vendicare ausint) per fortia stumque Vice-Comitum, & Judicum Nobilium, imò & Universitan Comitatuum,occasione celebrationis Generalium congregationum rum in simul constitutorum,& eorundem Ablegatorum,cum commitione laquei, non sine maximo despectu & contumelia totius Gentis ngaricæ (impetratis à Præfecto Cameræ Hungaricæ contra legem riam inducto, & aliis externis Commissariis Regiis certis,ut vocant,asnationibus) ad similes contributiones omninò sine consensu & volune Regni compellunt,easdemque infinitis damnis & militaribus executnibus extorquent.

Accederet ad hæc alia etiam, non quidem simpliciter gratuita, sed ltis millibus per Comitatenses resarcita,& similiter Patriæ Libertatibus oium præjudiciosa siliginis (quam duplicato etiam pretio ab ipsis Gernis OfficialibusComitatus emere debuerunt) nec non hordei, Avenæ, ni & straminis,aliorumque,ut præmissum est, victualium, perpræfan Generalatum & Administrationem Cassoviensem,prout & alios Ofales militares,passim in Regno,vili valdè pretio, & nec illo miseræ pleersoluto coëmendorum impositio.

Auxit prætereà hoc læsæ Libertatis malum in Anno 1678. Viennæ sentibus nonnullis Magnatibus Regni, loco prętensę Repartitionis, posita,& ad totum Regnum per prętactos Cameraticos, ac alios quo-

que

que extraneos nimis præjudiciosè distributa *Centum Septuaginta mille florenorum Rhenensium* summa; Cum tamen nec ipsi Regni Magnates, tantò minùs extraneorum aliqui contra præscriptum Articulum 1. Uladislai Decret. 5. citra incursum pœnæ in eodem Articulo specificatæ, simile quid imponere potuissent. Ideo Status & Ordines humilimè instant, quatenùs idem onus Repartitionale & Accisarum, cœterarumque universarum impositionum & Taxarum, quocunque nominis vocabulo appellatarum, tàm ad Comitatus, quàm ad Liberas & Regias, Montanasque Civitates, factarum, unàcum prætensis earundem omnibus Restantiis, extorsionibusque omnis generis victualium, per totum Regnum, stante hâc Diætâ, effectivè cum præinsinuatis incommoditatibus & pressuris tollatur, & in perpetuum abliteretur; Literæque Consensuales (si quæ fors extraditæ essent) in facto hujusmodi contributionis, per quoscunque tandem Prælatos, & Magnates, nec non Nobiles, aut quosvis & cuivis sinè præscitu & consensu Regni præjudiciosè datæ, in specie restituantur, vel Articulariter pro cassatis habeantur, Articulus quoque præcitatus 1. Uladisl. Decret. 5. tàm quoad Contributionum Regni onera assumenda, quàm verò ad quæpiam negotia nomine Regni tractanda, tantò minùs concludenda, sub nullitate talis Contractus & pœnâ in eodem Articulo expressa, etiam extra Communitates Comitatuum in particulari ad universos & singulos Prælatos, Magnates, Nobiles, & Liberas Regiasque ac Montanas Regni Civitates, extendatur, atque tàm pacis, quàm belli tempore strictissimè observetur.

5. Ex eo quoque notabilem Patriæ ruinam, malo suo promanare experti sunt fideles Status & Ordines, quod amissis Varadino & Uyvarino, nominatissimis fortalitiis, aliisque plurimis non contemnendis Præsidiis in Turcicam potestatem deventis, licet numerus militum Confiniariorum in Confiniis hujus Regni eidem hosti oppositis, majori quàm unquam antea numero augeri debuisset, ex informatione tamen nonnullorum novissimè cum Turca initæ paci plùs debito confidentium (quasi Turca tàm sanctè pacem coleret, aut unquam coluisset, quin ab excursionibus, rapinis, interemptionibus, & subjugationibus Christianorum, aliisque hostilitatibus in hoc Regno, sibi undique vicino, inferendis penitùs abstineret) numerus veteranorum in singulis Regni Generalatibus & Confiniis multùm diminutus, quin idem Miles multis è locis penitùs exauctoratus, & abalienatus fuerit: Porrò & illis, qui in Confiniis relicti sunt, solita sua stipendia rarissimè persolvuntur; unde non nisi famelici, laceri, & inermes cum armato, opulento & numerosissimo hoste manum conferere non possunt; quinimò verendum esset, ne vel ob eorundem stipendio-

rum

Digitized by Google

sum defectum, validiorique hostis exercitu imminente, desertis Præsidiis fugâ alibi suæ consulant saluti: Eodem ex defectu Stativæ & exteriores vigiliæ deseruntur, hostibus verò excurrentibus liber passus aperitur, mœnia, portarumque excubiæ, militibus Libertinis nulla juramentali obligatione adstrictis (qui cum gratuitò serviant, regulariter tractari, & in Præsidiis contineri non possunt, verùm hinc indè pro libitu non sine oppressione miseræ plebis divagantes) concreduntur. Multi præterea strenui milites modo prævio exauctorati, partim ad Consortium Suæ Majestati adversantium confluxerunt, & non modò numerum eorundem auxerunt, sed & Ditionibus ejusdem fidelibusque suis Regnicolis præ cœteris infensissimi hostes evaserunt; Alii necessariis sustentandæ vitæ mediis destituti, in visceribus afflictæ hujus Patriæ incessabilia latrocina exercent, tantasque ærumnas & calamitates Regno inferunt, quibus majores & graviores, (exceptâ vitæ ademptione & perpetuâ servitute) vix hostis inferre potest: Illi sunt, qui nec flagelli Divini metu, nec amicorum misericordiâ, nec gemitu pauperum, neque fletu miseræ plebis ab insolentiis & disceptationibus cohiberi possunt, sed vitiis indulgentes Regno damnosi, fidelibus importuni, anteque DEUM culpabiles existunt: Alii in perpetuam fortunæ aleam se conjicientes, longinquiores Turcarum Regiones ingrediuntur, ibique vel ab hostibus trucidati, occumbunt, vel cum irritatione potentissimi hostis prædam aliquam, quâ se suosque sustentare valeant, consequuntur, ex quibus non aliud, quàm selectissimorum inter arma educatorum militum jactura Confiniorum milite evacuatorum ruina, Pacis publicæ rupturæ, ejusdem hostis irritamentum, exindeque manifestum, ut jam satis expertum, Regni hujus, imò totius Christianitatis detrimentum.

Accedit, quòd multæ Arces & Fortalitia, utpotè Vaghbesztercze, Sztrecsen, Illava, Deneny, Torna, Nyalab, Aranyas, Megyes, Fözer, Rosaly, Beltek, Dios Györ, Saaros, desolatum Karoly & Kalsza, uti & liberarum & Regiarum Civitatum Epperies, & Nagybanya, mœnia, nec non Castella, in quæ tempore hostilis excursionis, tùm ipsa Nobilitas, tùm verò miser populus, cum liberis & conjugibus suis sese recipere, sed & obsistere, ad retundendamque vim hostilem opponere potuissent, partim demolita, partim verò munitiones & instrumenta bellica, tùm abinde, tùm verò è nonnullis Liberis quoque & Regiis Civitatibus educta, & pro deterioribus permutata extiterint; Undè consimiliter nonnisi manifesta Regni detrimenta pertimescenda forent; quo igitur totius Regni in præmissis periclitanti saluti & permansioni commodè in tempore provideatur, Status & Ordines Suæ Majestati Sacratissimæ humilimè suppli-

Digitized by Google

carent, quatenus intuitu fidelium utiliumque servitiorum militiæ confiniariæ, quibus non modò finitima Suæ Majestatis loca in faucibus vicinorum hostium posita, sed & salus multorum millium Christianorum, Vicinæque Provinciæ, ac ipsæ etiam Augustales Suæ Majestatis Sacratissimæ Residentiæ tutantur, dignetur securiori eorundem permansioni consulere, pristinumque numerum nativę militiæ, in Confiniis quidem partium Regni superiorum, & Cis-Danubianarum juxta Articulum 3. 1655. & ibidem citatos, nec non 2. 1659. Annorum, unà cum earundem partium Cis-Danubianarum Capitaneatui subjectis, Centum & quinquaginta Equitibus, ac totidem Peditibus reducere; In Confiniis verò Transdanubianis, signanter invicem amissi Præsidii Werebely ordinato Castro Kis-Tapolchan & Oppido ejusdem nominis contiguo, in certâ parte Præsidiato, inque passu seu itinere ad Cis-Montanas partes Comitatus Barsiensis, Civitatesque etiam minerales tendentes situato, conservationi earundem partium perutili, ac omninò necessario, militem nativum in prædicto diruto Confinio Werebely ad sensum annotati Articuli 3. 1655. intertenendum, Equites nempè Ducentos ac Pedites Centum quinquaginta, unà cum gratuitis laboribus antecedenter eò præstitis memorato Pręsidio Kis-Tapolchan applicare: Similiter quia etiam Confinium Szögyin eodem bello Turcico ruinatum est, illius quoque loci Præsidiarii Equites Centum quinquaginta, & Pedites Centum numero, Præsidiariorum Levensium, pro tenore ejusdem Szögisen gratuitis laboribus, toties fato Præsidio Levensi adderetur & augeretur. Pari passu siquidem loci Gyarmath & Palangh, Præsidium Korpona accessisset, eorum quoque locorum Equitum & Peditum numerum in eandem Civitatem Karponensem; præterea Negradiensem in Arcem Kekeö, Szechiniensem in Fulek introducere, & ad mentem specificationis præcitati Articuli adjustare. Tandem Nytriam loco militum Uyvarin interteneri solitorum, Equites mille & Pedites quingenti; Ad Szered, Equites Trecenti, Pedites Ducenti; Ad Selyam verò & Farkas, Equites trecenti totidemque Pedites conducere & collocare, ac tandem emeritum tum Superiorum pariter & Inferiorum Officialium militarium, ipsiusque gregarii militis Stipendium, juxta Constitutiones Regni & antiquum morem (sublatis solitorum bellicorum abusibus) quotannis exsolvi demandare; item necessarium pro intertenendis speculatoribus, potiorem confiniorum Capitaneis, deputatum salarium ordinarium, munitionum (illis quoque, quæ modo prævio ex nonnullis Arcibus & Civitatibus eductæ, aut pro deterioribus permutatæ sunt restitutis) defectum suppleri facere: præterea & in fabrica atque reparatione eisdem subvenire, notanter verò præsidi-

um

um Nytriense subarcense in bivariam divisum, loco Palorum, muro cingere, quò pro partium illarum, consequenterque vicinarum Suæ Majestatis Provinciarum securitati, residentiam, Dominorum Supremi &

[Contradictio à parte Inclyti Hungariæ Cleri, signanter Domini Cancellarii, veluti Episcopi Nytriensis quoad sedem Generalatus Nytriæ ordinandam.]

Vice-Generalium Hungarorum, sinè tamen præjudicio Jurium & dispendio proventuum Dominorum Terrestrium & Nobilitatis ibidem residentias suas & domos habentium; Residentia quoque Arcensi Domini loci illius Episcopi (salva & illibata permanente) transferendam, cum reædificatione Possessionis Parnicza ad dictam Nytriam sitæ, his præteritis disturbiis desolatæ, per legitimos ejusdem Dominos & Possessores fiendæ, per eosdemque jure ipsis ab antiquo incumbente, incolendæ & possidendæ censerent Regnicolæ, interque eandem Nytriam & Leopoldopolim in Lakacsim vel Elecske, aut Ricse, fortalitium aliquod exstrui curare; Consimiliter in Possessione Gutta, & Castello Kezeghfalva nova Præsidia nativo milite replenda, ad defensionem Insulæ Csaloköz erigere, præscriptaque diruta Fortalicia & mœnia reædificari facere dignetur: Quem quidem in finem non dubitant Status & Ordines juxta Articulum 34. 1638. & 2. 1659. tum Sacrum Romanum Imperium, tùm verò alias Suæ Majestatis Provincias Superioribus temporibus, veluti in communis atque publici ipsorum quoque boni incrementum notabilia subsidia præstitisse: Interim tamen idem Subsidium, prout etiam Proventus Regni de media Tricesima, juxta Articulos 2. 1649. 4. 1655. & 9. 1659. Annorum, usque ad Diætam extunc primitùs celebrandam oblati, & per Cameras Hungaricas, aut alios quospiam percepti, quonam devenerint, & in quos usus conversi fuerint, Statibus & Ordinibus nondum constaret. Eam ob rem Sua Majestas Sacratissima clementissimè dignetur annuere, quatenus universi & singuli illi, qui in perceptione memoratæ summæ pecuniariæ per antefatas Provincias, Sacrumq; Imperium toties quoties administratæ, prout etiam mediæ Tricesimæ, Summæque Draskovichianæ in usum Regni depulatæ, aliorumq; universorũ Regni Proventuum & Contributionũ, pro publicis Regni necessitatibus ordinatarum (quarum videlicet certa in parte fienda exactio inter cœteros Perceptores etiã Dõino Comiti Stephano Zichy Seniori Articulariter delegata exstiterat) qualitercunque & quõodocunq; sese immisissent, eorundemque hæredes & Successores, stante præsenti Diæta, ad reddendam exactissimam rationem (Indigenæ ii sint sivè Extranei) juxta Articulum 10. 1638. 9. 1635. & 27. 1625. Annorum compellantur. Quo peracto spem omninò infallibilem habent Regnicolæ,

Digitized by Google

colæ, quod commoditate talium rationum exigendarum, ea massâ pecuniæ conquireretur, de qua unà cum prætactis Regni quoque ordinariis proventibus, sicut & media Tricesima eum in finem ulterius etiam destinanda; nec non gratuitis laboribus exactè & infallibiliter per Portarum rectificationem, desolatarumque defalcationem suo modo fiendam administrandis, præciseque in Confiniorum reparationem, vel maximè in superiori Hungaria, & non alio uti est Citadella ad Cassoviam sita, quæ plùs ferè obesse, quàm prodesse Civitati dignosceretur, convertendis, juxta benignissimam etiam Suæ Majestatis Sacratissimæ in Propositionibus suis Regiâ atque Paternâ Gratiâ plenis, refertam mentem, universorum Regni Confiniorum necessitatibus, exsolutioneque Præsidiariorum nativorum, pleno & prævio modo augendo numero intertenendorum, defectu & difficultate omni provideri valebit. Adjuvabit denique benignam Suæ Majestatis Sacratissimæ intentionem in dictis Propositionibus expressam, si Majestas Sacratissima pro præmissa hujus Regni defensa, Sacrum quoque Romanum Imperium ex rationibus in præcitato Articulo 2. 1659. appositis, & defectibus Regni ita pro nunc exigentibus repræsentandis, ad præstandam certum subsidium ulterius quoque clementissimè disponere dignabitur.

Quia verò pro medio & medela ante recensitarum necessitatum Confiniorum, gratuitos quoque labores denominasset; circa eosdem occurrit, quod licet quam plurimos super administratione eorum in usum & necessitatem præcisè Confiniorum convertendorum, dandisque per Capitaneos annuatim rationibus, conditas haberent Leges, nihilominùs eatenus quoque multos advertunt irrepsisse abusus; Nonnulli enim præsertim propinquiores Comitatus eosdem manu vel maximè præstari soliti, omninò defectu sine omni, & cum magno Subditorum onere, suas supplere & administrare cogerentur; alii verò remotiores hujusmodi labores pecuniis exsolvi soliti, vix aliquam partem exsolvissét, sed in restantiis quam plurimi hærerent: ne itaque Conditio unius sit deterior, quàm alteri⁹, neve etiam Confinia Regni propter inexsolutionem hujusmodi gratuitorũ laborum, cum detrimento toti⁹ Regni defectũ patiãtur, judicant Stat'& Ordines Regni, huj⁹modi restantias apud & penes quos hærere dignoscentur & comperientur. neq; aliò per specialia Suæ Majest. Sacratissimæ Mandata (prout Comitatus Trenchiniensis) applicatæ fuissent, juxta Art. 6. Anni 1649. desumendas, eundem Art. renovandum; Et quia per nonnullos Officiales Confiniarios proprias necessitates magis, quàm publicas curantes, gratuiti labores, quandoque distrahantur, ac in proprios usus convertantur, dignum censent Regnicolæ, quatenus contra tales renovetur Articulus 103. Anni 1655. Capitaneique Confiniorum, vel successo-

res

Digitized by Google

res eorundem ſingulis Annis juxta Articulum 116. Anni ejuſdem 1655. rationes hucusque neglectas dare teneantur.

Cùm autem injuria præteritorum diſturbiorum nonnulla Præſidia, utpotè Erſek-Uyvarienſe, Neogradienſe, Szechinienſe, Bujakienſe, Hollokienſe, & Suranyienſe, per Turcas infenſos Chriſtiani nominis hoſtes, intercepta & occupata, alia verò deſolata, & ſolo æquata, uti ſint Szögyn, Werebely, Drgely, Palank cum arce & Balaſſa Gyarmath extiterunt, æquum judicarent Regnicolę, Confiniorum iisdem Oppoſitorum reparationi & munitioni gratuitorum quoque laborum limitationi modo ſequenti proviſum iri: In Partibus Trans-Danubianis ad Nytriam Comitatus Nytrienſis totaliter, exceptis bonis ad Kis-Tapolchan pertinentibus, cum Bonis Hruſſovienſibus, ac infra declarato modo ad Præſidium Kis-Tapolchan applicatis, nec non duo proceſſus Comitatus Trenchinienſis, unà cum bonis Archi-Epiſcopatus Strigonienſis, in iisdem Comitatibus exiſtentibus; ad Senthe & Szered, tres proceſſus Comitatus Poſonienſis, itidem cum bonis Archi-Epiſcopatus Strigonienſis in iisdem proceſſibus adjacentibus. Ad Selye unus proceſſus Poſonienſis cum Comitatu Strigonienſi, bonisque ſimiliter Archi-Epiſcopalibus ibidem habitis. Ad Kis-Tapolchan propriæ pertinentiæ ejuſdem, in Nytrienſi & Barſienſi Comitatibus adjacentes: Item quartus ejuſdem Comitatus Barſienſis adprævio modo deſolatum præſidium Werebelyenſe deſtinatus, incluſa ejuſdem poſſeſſione quoque Velkopolya, poſtquam ex parte ejuſdem in Art. 130. An. 1659. hac in parte exemptionis cautela, poſt ſui Turcæ ſubjectionem caſſaſſet. Ad Levam tres alii Comitatus Barſienſis unà cum Bonis Archi-Epiſcopalibus in iisdem Proceſſibus contentis (demptis tamen bonis Capituli Strigonienſis in eodē Barſienſi, Honthēſi, Strigonienſi & Nytrienſi Comitatibus adjacentibus, & juxta Art. 116. Añi 1655. penes Arcem Sancti Benedicti de facto etiam relictis) Item Thurocz & Arva, nec non gratuiti labores antehac ad præſcriptum Præſidiū, pręter prænotatum Comitatum Strigonienſem Szögyinienſi deputati. Ad Corponam duo proceſſus Comitatus Honthenſis, item totus Comitatus Lypto, & unus proceſſus Trenchinienſis ultramontanus. Ad Kekeö, tertius proceſſus Comitatus Honthenſis, de facto ſub directione Judicis Nobilium Emerici Tihany exiſtens. Ad Fülek totus Comitatus Neogradienſis, Zolienſis & proceſſus Kis-hontenſis, prout & Comitatus Peſt, Pilis invicem uniti. Ad Somoskeö ad eandem Arcem pertinentia Bona & Comitatui de Zold, ad Osgyan pertinentiæ ejuſdem. Cùm autem amiſſo, uti ſupra dictum eſt, Præſidio Uyvarienſi, Neogradinum quoque ad manus Turcarum deveniſſet, ob hoc arx ſeu fortalitium familæ Cohariana Cſabrak dictum, non parvæ montanarum Civitatum ſecuritati inſervire

 judi-

Digitized by Google

judicarentur: Ideò visum est Statibus & Ordinibus Regni, tùm boni publici, prædictarumque montanarum Civitatum securitatis, tùm verò præmentionatæ familiæ Coharianæ, Prædecessorum æquè Suæ Majestati Sacratissimæ & huic Regno Sangvinis etiam profusione præstitorum Servitiorum intuitu, ut bona ad præfatam Arcem Csabrak spectantia unà cum Possessione Devecser, ad aliam ipsorum Arcem, Siknya nuncupantem, pertinentem, ad instar bonorum ad Castellum Osgyan spectantium, ab alio gratuito labore eximantur, & Articulariter pro necessitate mentionatæ Arcis Csabrak applicentur. Denique ad Karoly (ex quo Suâ Majestate Sacratissimâ ita annuente Confinium esse debet) pro gratuitis laboribus applicetur, ex Comitatu Szatthmariensi, processus Nyer; præter Bona Dominæ Principissæ Rakoczianæ.

Et quia ex nativorum etiam militum insolentia, magnam sui oppressionem afflicti Patriæ Cives hactenus tolerare necessitati fuissent, dùm nimirum Capitanei quidam omnia ea, quæ in Nobilitatis & miseræ plebis oppressionem excogitare & exercere possunt, intentata non relinquunt; Nobiles siquidem omni convitiorum genere proscinderent, verberibus & vulneribus afficerent, personas eorundem arestarent, incaptivarent, & compedibus injicerent, crudelique mortis genere interimerent; alios ad sedem suam bellicam attraherent, ad productionemque Literarum & Privilegiorum cogerent, Mandata superiorum Judicum contemnerent; Regios & Capitulares, Judicesque Comitatus Inquisitiones & Executiones Judiciarias peragere volentes non admitterent, personisque sub Jurisdictione eorum constitutis testimonium veritati perhiberi interdicerent, Curias Nobilitares invaderent, in Jurisdictionem Dominorum Terrestrium se ingererent, eorumque educilla, macella, aliasque portiones & appertinentias violenter occuparent, pretia victualium pro arbitrio suo limitarent; fugitivos Colonos non restituerent, sed ad proprios fundos reciperent & accommodarent, vel ad accipiendum stipendium instigarent; ad proprios autem fundos redeuntes, bonis omnibus privarent, malefactores protegerent, condemnatosque dimitterent, excursiones varias instituerent, numerosamque militiam assumerent, cum qua ad obvios quosvis pagos condescendo, cujusvis generis hospitalitates & victualia extorquerent; cistas infringi, agnellos diripi, & pecora abigi curarent; Nobiles ad gratuitos labores præstandos compellerent, à miserâ verò plebe etiam in triplo exigerent; insolita eaque gravissima vectigalia Pagis imponerent & extorquerent, ac alia quævis in derogamen divinarum pariter ac humanarũ Legũ vergentia impunè agerent, atque perpetrarent, in quorum numero censetur Dominus Comes Carolus Ludovicus Hoffkircher Capitaneus Commaromiensis

ensis, ejusdemque Vice-Capitaneus Andreas Drahosoczy, item Franciscus Babocsay Weszprimiensis, Alexander Bakacs Keszthelyiensis, Adamus Balassa Keökiiiensis, Matthias Radonay Szalavariensis, & Johannes Kethely Tihaniensis Capitanei; Præterea Samuel Bellavich Fülekiensis, Nicolaus Benke Nytriensis, Georgius Farkas Levensis, Franciscus Anyos Szerediensis, & Stephanus Botka Kis-Tapolcsaniensis Vice-Capitanei; nec non in Superiori Hungariâ Franciscus Barkoczy Kaloviensis & Onodiensis Comes Franciscus Petheö; Non absimiliter quoque Milites Præsidiarii tàm stipendiarii, quàm Libertini in obvios quosque grassarentur, dum sinè, vel etiam cum Literis Capitaneorum Suorum de prædis & rapinis participare solentium, diversas excursiones, æstiva & hyemalia quarteria, violentas victualium exactiones, lytrationes, deprædationes, verberationes, vulnerationes, membrorum mutilationes, itinerantium despoliationes, ipsásque cœdes inferrent: Nobilium prata depascunt, sylvas succidunt, Vineas conculcant, aquas piscosas expiscantur, universa denique & quælibet separatim exercere nil pensi ducunt. Cùm autem prænarrata aliaque enumerari non valentia infinita Capitaneorum, Præsidiariorumque Militum imperia & præsumptuosa facinora, contra omnia Jura Gentium, communemque Justitiæ Regulam vergerent. Idcircò Status & Ordines Regni quàm humilimè instarent, ut Sua Majestas Sacratissima hoc quoque in passu quieti & indemnitati ipsorum clementer consulerent, prænominatosque Capitaneos, veluti manifestos Nobilitatis & miseræ plebis oppressores, ob contemptum tot positivarum Legum, jam veluti incorrigibiles, aliorum etiam efficax in exemplum, ad præsentem Diætam evocandos, ab officiis amovere, juxta delicta ipsorum, cum satisfactione damnificatorum punire, vel verò (si Suæ Majestati Sacratissimæ tantis Reipublicæ Christianæ conservandæ sollicitudinibus intentæ non vacarent) eosdem jam delinquentes, prout & alios imposterùm similia perpetrantes Capitaneos, Confiniorumque Officiales, primùm quidem Domini Generales, illis verò per se, vel ad primam Domini Comitis Palatini admonitionem nolentibus, intermittentibus, prætextuosèque prorogantibus, aut interessatis, ipse Dominus Comes Palatinus stante (si fieri poterit) alioquin finitâ Diætâ quanto citius sui in præsentiam citare, compertaq; rei veritate juxta exigentiam delicti, etiam cum privatione officii & Capitis, refusioneque damnorum illatorum punire possint ac debeant. Nihilominùs aliis quoque Legibus Regni (qui eisdem uti voluerint) contra sæperepetitos Capitaneos & Officiales Confiniorum salvis permanentibus.

Ad militum verò Confiniariorum Licentiam refrænandam proficicuum

cuum videretur, ut præprimis diuturni talium malefactorum antesignanum, Levensis utpotè Gregorius Horvath & Franciscus Győry, Szendröviensis Blasius Borbely, & Stephanus Pap aliter Detky Kis-Tapolchensis, Michaël Valy, & alii quamplurimi, propter sua enormia facinora & scelera pridem quodvis horrendum mortis & supplicii genus promeriti, postliminiò capiantur, & Juris ordine è medio tollantur. Vagabundi item ad Confinia reducantur, ibidemque persolutis consuetis menstruis stipendiis, sub strictiori contra Capitaneos colendâ & statuendâ pœnâ atque disciplinâ accommodentur; quandoquidem miles alterius vitæ generi minimè assuefactus, stipendiisque ac vivendi mediis destitutus, occasionem prædandi facilè nanciscitur. Pariformiter liberi quoque milites & haydones in Præsidiis Suæ Majestatis commorantes, directioni & Judicatui Generalium, atque Domini Comitis Palatini subesse debeant, ex parte verò illorum, qui in fortalitiis, Villis, Oppidis, Dominorum Terrestrium resident, iidem Domini Terrestres, modalitate Articulorum 15. & 16. Anni 1659. Justitiam debitamque satisfactionem administrare teneantur. Postremùm annectenda esset Nobilium in Præsidio Fülekiensi commorantium, de servitio Suæ Majestatis benè meritorum, contra Magnificum Stephanum Kohary Supremum ejusdem Præsidii Capitaneum, proposita querimonia, quòd videlicet idem Domos Nobilium ibidem commorantium, tùm propriâ in personâ invadat, tùm per alios invadi faciat, nonnullos etiam incaptivet, bona eorundem occupet, Dominale Tribunal exerceat, Vice-Comitem illius Comitatus ab executione judiciariâ prohibeat, & malefactoribus Carcerem, Magistratum verò Comitatus ab infligenda eisdem illic loci executione arceat, Nobilitatem in consueto educillationis usu, vinorumque suorum inductione, contra Articulum 55. 1609. 81. & 82. 1649. & 21. 1659. turbet & impediat. Ad quæ præcavenda instarent perdemissè, ut Art. (favente Suæ Majestatis Sacratissimæ, iisdem Nobilibus specialiter oblata sua Gratia) superindè condendo, præscripti abusus atque illegitimè procedendi modi tollantur, & antiquus educillationis, vinorumque suorum inductionis usus liber & imperturbatus relinquatur.

Consimiliter innumeras Oppressiones, Processuumque Juridicorum, communium Inquisitionum, ac aliarum Attestationum turbationes, bonorum mobilium & immobilium occupationes, occupatorumque possessiones, illegales, ad forum seu Tribunal Domini sui comparitiones, diversarum fidejussionalium, reversalium, & Cessionalium coactivas extorsiones, exprimere coguntur Regnicolæ, signanter autem Comitatus de Beregh & circum adjacentes viciniores, nec non Oppida

Nagy,

Digitized by Google

Nagy Kapos & Leleſz, contra ſucceſſores Celſiſſimi quondam Principis Domini Georgii Rakoczy, Illuſtriſſimam Principiſſam, utporè olim Sophiam Bathori, dicti Domini quondam Principis relictam Viduam, ac ne fors ſucceſſores ejusdem quoque, eadem & iidem in futurum quoquo modo attentare præſumant, verùm præmiſſa univerſa ſpeciali Articulo caveantur, resque univerſæ mobiles & immobiles, prævio modo potentia mediante occupatæ & ademptæ, eo facto reſtituantur: occaſione verò diſtractorum damnificatis Juris via minus præcludatur, atque tàm iidem ſucceſſores, quàm ſubditi eorundem in præmiſſis Juribus Regni ſub pœnâ mille florenorum, toties quoties, ſervatis de Jure ſervandis, ſuo modo exequenda, ſubſint & ſubeſſe debeant, conſentaneum æquitati judicant.

6. Negotium Religionis, ſtante adhuc præſenti Diæta, per Suam Majeſtatem Sacratiſſimam benignè complanandum cenſent, ſi quidem uterque tàm Catholicus, quàm Evangelicus Status ſe eatenùs ad benignam Diplomaticam Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ reſolutionem provocaſſet.

7. In Labefactationem dictæ Conditionis Primæ & Articuli 5. ante Coronationem 21. 1609. 11. 1655. 146. 1647. 18. 1618. & 31. 1625. aliarumque Legum deſuper conditarum, vergeret & id, quod præterquàm quod Cameram Hungaricam ab Excelſæ Aulicæ Arbitrio, nutuque & directione contra normam earundem Conſtitutionum in præſens etiam dependere, in comperto ſit, pluralitas quoque ſuperfluorum exterorum & inutilium prætactæ Cameræ Hungaricæ Officialium (ubi & ipſe Præſes ejusdem non ſecularis, ſed Eccleſiaſticus, alter verò Vice-Præſes proutì & Adminiſtrator Extranei eſſent) nedum ad pauciorem Legibus Regni conſcriptum numerum redacta, ſed cum diſpendio & accumulatione ſumptuum in ipſos erogatorum & erogandorum comunis ærarii Regni potius adaucta augmentataque eſſe prohiberetur, Unde evenit, quod iidem extranei Officiales Camerat ci Legibus hujus Patriæ ſubeſſe recuſantes, quin potius contra eaſdem in omnes ferè Status & Ordines Regni ac omnes Magiſtratus magnam ſibi jurisdictionem vendicantes, præter alios illegales ſuos actùs directè in everſionem Libertatis Nobilitaris tendentes, Nobiles ad productionem Jurium & Privilegiorum ſuorum contrà ſe fiendam coëgerunt Magiſtratuum Civilium pro arbitrio ferè ſuo renovationem contra manifeſta Privilegia earundem Civitatum ſibi vendicarunt. Bona Regnicolarum, ad ſimplicem cujusvis inſinuationem diverſis ſub prætextibus, unà cum Literalibus Inſtrumentis, confiſcari fecerunt. Triceſimatores, alioſque id genus Cameræ Hungaricæ Offi-

tiales extraneos ad servitium Suæ Majestatis inhabiles, rerumque gerendarum Hungaricarum & administrationis Cassę Suæ Majestatis imperitos, ac non tam servitii Suæ Majestatis promovendi, quàm privati lucri studiosos induxerunt, talique occasione in confiscationem bonorum involando, & in mobilibus Fisco applicatis, præcipuè ad initium tumultuum multorum Magnatum & Nobilium, Montanarumque Civitatum bona, mobilia, Clenodia, aliasque res aureas & argenteas liberè occupando, pretiosiores pro se acceperunt, alias verò viliores pro voto suo æstimarunt, vendiderunt, majorique ex parte tales etiam, eò prouti voluerunt precio ipsimet emerunt; imò quod majus, resipiscentes exules ad debitam fidelitatem Suæ Majestatis Sacratissimæ redeuntes, per non effectivam bonorum eorundem aliàs per Suam Majestatem Sacratissimam clementissimè resolutam restitutionem, iterùm ad rehabentiam exulibus & novam quasi rebellionem coëgerunt. Quæ omnia inquisitio peragenda & alia quamplurima hactenùs incognita omni semoto dubio palam revelabit; ex quibus quid & quantum Suæ Majestati Sacratissimæ servitio aut huic Regno afflictissimo vel potiùs damni causatum sit, nemo est, qui non videt. Ut igitur hoc quoque in passu præcitatis Legibus & Conditioni Diplomaticæ efficaciter satisfiat; Iidem Status & Ordines humillimè instant, atque ut supremus & Vice-Thesaurarii secu-

[Contradictio itidem venerabilis Cleri, quoad Thesaurarium, ne is Ecclesiasticus, verùm Secularis, ad mentem Legum Patriarum, ordinetur.]

lares & Indigenæ ex Consilio Hungarico pro exigentia Legum superiùs sancitarum, eligantur, ac alii quoque inutiles Extranei, ac superflui Officiales tàm in ipsis Cameris, quàm etiam, Tricesimis, & aliis dispositioni & directioni Cameræ Hungaricæ subjectis locis, stante præsenti Diæta amoveantur, & loco illorum alii nativi, possessionati, & benemeriti constituantur, neve iidem prævio modo constituendi nativi Thesaurarii, ac Camera quoque ipsa Hungarica contra tenorem Pacificationis Viennensis Articuli ad Quintum, & reliquarum superinde existentium Legum, præter Regios duntaxat & Coronæ proventus sese in nullam partem Gubernationis Regni; prout & Judicatum quarumvis Causarum per se processualiter in sede dictæ Cameræ Hungaricæ contra Regnicolas, eorundemque subditos discutiendarum, quovis sub prætextu ingerant, aut etiam aliter in eorundem bona sub specie defectus seminis, aut alio quopiam confiscationis titulo, præter ordinariam Juris viam in sortem Fisci Regii occupanda præsumant, neque præterea contributiones seu impositiones Comitatenses eò de more & consuetudine solitas præ-

 stare

Digitized by Google

tare denegent, Vice-Comites & Judices Nobilium Comitatuum, circa administrationem Juris & Justitiæ in bonis Fiscalibus non turbent; sed & publicos malefactores impunitos permittere, salarium Vice-Comitum & aliorum Comitatus Officialium denegare, Nobiles ad vecturam lignorum militibus Germanis in Præsidiis locatis, adigere minimè ausint. Verùm ex dictamine Articuli 27. 1597. & Art. 24. 1638. consueto Juris cursu prætendendo eatenùs Jus suum prosequi necessum habeant, sub pœna eorundem & reliquorum Cameraticorum Ministrorum, à parte quoque Scepusiensis intelligendorum exauctorationis, seu amissionis hujusmodi Officiorum suorum, per Dominum Comitem Regni Palatinum compertâ superindè merâ rei veritate, eisdem peremptoriè ipso facto ad instantiam partis læsæ intelligendâ, & insuper hoc modo occupandorum bonorum ex integro suis possessoribus, unà cum fructuum interea percipiendorum refusione per Vice-Comitem adjudicandâ, lege superindè condendâ cavendum esse.

Ad hæc non postremi esset Gravaminis id quoque, quod idem Fiscus Suæ Majestatis Regius contra contenta Titulorum 4. & 10. Decreti Tripar. Partis 1. ac etiam Regni Constitutiones passim superindè sancitas, authoritatem suam in bonis quoque mobilibus (existentibus quoque deficientis Consanguineis ad eam innuente Titulis 93. & 100. præcitatæ Partis 1. ad instar deficientis mulieris dotis, rerumque Paraphernalium naturam consimilium mobilium redolentium, indubitatum successorium Jus ex adminiculo etiam Articuli 56. Anni 1655. & Tituli 67. præcitatæ Partis 1. in genere ad, alias etiam res mobiles, intuitu propinquiorum extendentis habentibus) successionem & devolutionem prætendendo, eadem pro se occupare & vendicare, non ita pridem consuevisset; quæ siquidem mobilia non ingrederentur naturam in præcitatis Titulis 4. & 10. contentorum Immobilium, consequenter ne ex collatione profluere existimarent: hâc in parte Status & Ordines dicti inusitatè pro se vendicatam authoritatem, similiter & Cameratum judicandi potestatem illam, ad præinsertum Titulum 10. restringendam & reducendam; hanc verò ad mentem Articuli 46. 1659. penitùs abolendam, articulum eundem confirmandum, adeoque deficientem, & nonnullorum aliorum res mobiles; prout & Literas & Literalia instrumenta, pro eorundem duntaxat Consanguineis relinquenda, hactenùs verò sive apprehensa, & præ manibus ejusdem Fisci ad præsens etiam existentia, per eundem stante Diætâ restituendum esse: Articulus porrò desuper condendus ad Liberas æquè ac Montanas Civitates extendatur, Articulusque 16. 1649. in facto Caducitatis confirmetur.

 Cœte-

Cæterùm infactum Tricesimatorum Teloniatorũ, & Decimatorum quoq; negotium præterire haud possent Stat. & Ord. Regni summam ejus in generali attingere visum est:, qualiter nempè iidem Nobilitatem æquè ac miseram plebem mille modis ac prætextibus aggravare, Tricesimatores ac Teloniatores insolita vectigalia, telônia, Tricesimas de rebus etiam non eductis & præcipuè vinis, de uno loco in alium, vel pro usu proprio aut educillo, ad proximum etiam quandoque pagum devehendis, vel ex propriis quoque allodiaturis procreatis, ac à rebus quibusvis etiam minutissimis, valorem unius floreni non excedentibus, imò plerumque etiam allodialibus ad fora hebdomadalia allatis, contra positivas Regni Leges, signanter Articulum 18. Anni 1553. 46. 1649. ab iisdem exigere nil pensi ducerent; nonnullorum item Nobilium contra positivam Regni Legem, signanter Articulum 55. Anni 1609. in præsentiam sui citari coram se Juris stare Judiciumque recipere (quorum non postremus esset Tricesimator Jauriensis) cogunt: Decimatores demùm Decimas alienigenis etiam cum non levi præjudicio Dominorum Terrestrium locare, inconsueta insuper sine modo & mensura donaria, exactiones & bibagia, non tam titulo prætextuoso gratificationis, verùm impositionis à Dominis Terrestribus, & Arendatariis extorquere, à terris verò desertis Decimam prætendere, eandemque non in manipulis, verùm in granis à misera plebe exigere consuevissent. Idcircò tales excedentes Tricesimatores, in pœnâ violentiæ processu brevium, ad instantiam partis damnificatæ toties quoties convinci; in passu verò quoad amotionem Judæorum Teloniatorum, abolitionesque siccorum Teloniorum Articulum 91. Anni 1647. simpliciter tolli debere, pernecessariò censent Status & Ordines.

Literas demum & Literalia Instrumenta, quæ moderno rerum statu, unà cum bonis à Regnicolis modo præmisso confiscata sunt, post restitutionem talium bonorum præ manibus Cameræ Hungaricæ, tàm in his, quàm in Superioribus Regni partibus remansissent, de factoque ibidem hærerent, & ne fors ibi suppressa vel deperdita comperirentur, Articulariter legitimis eorundem Dominis restituenda, sub onere perpetui Evictoratus Fisci Regii statuatur.

Ac ut ipsę quoque Liberę & Regię nec non Montanę Civitates in suis antiquis Privilegiis, Immunitatibus & Jurisdictionibus, in liberâ electione & candidatione, ac Confirmatione Judicum, aliorumque Officialium Civitatensium, ac etiam in Jure Patronatus & Caducitatis, nec non in libertate Educilli & macelli, ut & in Judicatu quoad fundos & hereditates Civiles, juxta etiam Articulum 129. Anni 1659. & ibidem specificato-

rum

rum maneant & conserventur; sed & ratione liberæ Candidationis, Electionis & Confirmationis Articulum 83. 1647. & alii ibidem citati, respectu educillorum Art. 35. 1638. quoad caducitatem in Fiscum Civitatis derivandam Art. 16. Anni 1649. in passu autem Judicatus earundem Civitatum Art. 53. 1659. & 15. 1649. ac 127. 1659. Annorum renoventur, ac strictius sine discrimine Religionis observentur.

Atque ut Civitas etiam Nagybanya, Szathmarini apud Dominos Commendantes Loci his annorum revolutionibus semper duos obsides (cum maxima sui ruina & expensis non contenendis intertenere necessitata, ab ulteriori talium obsidum intertentione, simpliciter enodetur, supplicant Regnicolæ.

E converso verò ut excessus quoque nonnullarum Liberarum Regiarumque & Montanarum Regni videlicet Hungariæ Civitatum, his annorum revolutionibus in præjudicium prærogativæ Nobilitaris, contra positivas Patriæ Leges, signanter verò Articulum 78. 1647. 19. 1649. diversimodè jam videlicet per vinorum allodialium in aliis promontoriis procreatorum, ad usum Nobilium etiam Concivilium, in Civitatibus domos habentium, non admissionem, neque educilli concessionem, jam ad inconsuetorum onerum Civilium per assistentiam militarem supportandorum adactionem, jam legitimarum Judiciariarumque executionem turbationem, jam per diversarum contra Nobiles patratarum violentiarum, vexationem, jam per captivorum ad instantiam Nobilium subindè in carceribus Civitatis detentorum, sine scitu & consensu, cumque præjudicio eorundem Nobilium dimissionem, jam verò legitimarum deliberationem contra Malefactores latarum, eo quo pronunciantur modo, fiendæ executionis non admissionem, ac aliorum diversorum his similium in præjudicium Nobilitatis in medio Civitatum degentis, liberè practicari solitorum abusuum, liberam vendicationem introducti, (speciali superindè condendo statuto etiam ad Oppida Privilegiata & exempta, eorundemque Dominos Terrestres extendendo) simpliciter tollantur, priores contra dictas Liberas Regiasque & Montanas Civitates excedentes, Annorum præteritorum Constitutiones, utpotè Articuli 78. 1647. 19. 1649. 60. 1618. ac aliæ passim superindè conditæ Leges renoventur & strictius observentur.

Non postrema esset Querela contra Cammergraffium Montanarum Suæ Majestatis Sacratissimæ Civitatum, Dominum utpotè Johannem Andream Fichter, qualiter idem, quotiescunque vel ipse, aut Consors ejusdem Viennam ascendunt, & redeunt, vel maximè in bonis Domini Archi Episcopi condescendentes, eadem medio cujusdam Officialis Ger-

Digitized by Google

manici, Kuchlander dicti, eidemque subjectæ militiæ ad ducentas personas se extendentis, data operâ & absque omni respectu adeò ruinare fecerit, ut miseri subditi ob tot & tantas presturas ac Calamitates jam amplius subsistere non valentes, domunculas & fundos suos deserere cogantur.

8. Et licet in singulis ferè Diætis Regni, de metis tàm inter Provincias Majestati Suæ Sacratissimæ hæreditarias, quàm alia etiam vicina Regna controversis, secundùm Diploma Regni & Conditionem Undecimam, evidentissimæ exstarent Leges & Articuli, signanter quidem 16. 1659. ibidemque citati, nec non 30. 1655. peremptorium terminum exprimente, rectificationis terminandæ, quos hic loci renovandos censent; quia tamen hactenus nullum effectum sortiri poterant, appareret exindè, quantæ innocentium personarum neces, mutilationes & ad carceres injectiones, pecorum & pecudum abactiones, Pagorum depopulationes, incinerationes, sub decursu omissæ Commissionis ab utrinque patratę fuere, uti & recenter, sub indicto præsenti Generali Regni Conventu ex Ducatu Silesiæ, tam Equites, quàm Pedites aliquot Centeni armis instructi, in Comitatum Trenchiniensem, Bona quippè Arcis Budetin & Lednicza (licet expost in alterius Arcis Sztrehen, quadam in parte & processu quodam prætenso devenissent, Possessionem erumpentes, in quorum bonorum reali Dominio & pacifico usu multis seculis, à tempore videlicet benignarum Regiarum collationum præextiterunt, pro lubitu suo metare, & non modò territoria ultra tria milliaria hungarica se extendentia, verùm & possessiones in locis iisdem habitas, circiter undecim Ducatui Sileaggeribus ad Possessionem Csacsa erectis applicare, ad præsensque potentiâ tenere velle, miseram plebem talium Possessionum, ab omni usu & fructu arcere, imò nonnullos beneficio fluvii Kisucza, ratibus scandulas devehentes, directis contra eosdem scloperis, lethaliter trajicere & interimere veriti non fuissent.

Consimiliter Inhabitatores quoque Civitatis Fürstenfeldiensis Provinciç Styriæ magnam partem Terrarum & Pratorum cis fluvium Lapines aliter Lavnicz vocatam situatarum, contra Familiam Comitum Bathyany sibi vendicare, adeoque partem eandem ab hoc Regno avellere vellent. Præterea Familia quoque Szechiana, à Familia Zriniana in Insula Muraköz, magnum tractum Terrarum & Prædiorum ad aliquot Centena jugera se extendentium, certa inconsueta delegatione mediante ad Styriam, Lottenbergense Dominium occupari curasset. Demùm Baro quoque Walterskircher certam Sylvam Münichsvaldt ad Arcem & Dominium Köpchin pertinentem occupasset. Porrò Incolæ quoque Tre-

decim

Digitized by Google

decim Oppidorum Scepusiensium, postposito & vilipendo bono viciniatis respectu, in Comitatus Saarosiensem, Scepusiensem, Ungh & Zempliniensem continuò facerent insultus & irruptiones, quibus damna complurima, pecorum abactiones, homicidia, Pagorum invasiones, Accolarum arestationes, & cum abstractionibus territoriorum, violentas præsumunt metarum attentare occupationes: & quidem specificè in Comitatu de Saaros Possessionis Szülin vocatæ, aliarumque ad Arcem Palocsa spectantium, item Lenard-Vagas & Lagno vel maximè Possessionum, magnam Territorii partem violenter occupassent. Neque his minora Comitatui æquè Scepusiensi, Zempliniensi, ac aliis Regno Poloniæ conterminis per eosdem Incolas, ac nonnullos etiam viciniores Polonos inferri damna, Territoriorumque occupationes, manifestissimum esset.

Proindè ad avertendas ex similibus territoriorum imposterùm quoque fors attentandis avulsionibus subsecuturas quaslibet incommoditates, hostilitates, imò neces, ac graviora utrinque pericula præcavenda, utque scopus tot Diætarum instantiæ tandem in effectum deducatur, pernecessarium fore censent Regnicolæ: quatenùs præprimis quidquid durantibus his disturbiorum temporibus, sub prætextu quasi defensionis hæreditariarum Suæ Majestatis Provinciarum, aut præsenti Generali Conventu violentèr occupatum, & à Regno avulsum fuisset, contra expressas supracitatas Leges unà cum refusione damnorum illatorum, nonsolùm in bonis præscriptis, verùm etiam in territorio Possessionis Dritoma, Dominiis item & tenutis Arcium Beczko, Lednyicze, Vagh-besztercze & Trenchin, prout & inter Civitatem Szakolcza, & Dominium Sztrasnyicza (statu alioquin ejusdem à finali duntaxat sententiæ pronunciatione pendente) prouti & Hodolin in Marchionatu Moraviæ, ac Holich, nec non Civitatem Posoniensem Wolffsthal eo facto in hocce Conventu instituatur & complanetur, Gentesque seu Milites, uti violenti occupatores, ex Aggeribus seu fossatis in Oppido Ilyhely ad Kisuczam erectis, cum demolitione eorundem ad propria abducantur, vel si casu quo (quod non speratur) ad tempus non abducerentur, Eisdem, siquidem pro Silesia excubarent, abindè omnimoda provisio administretur, Atque id etiam publico statuto caveatur, ne per erectionem novorum Aggerum in territorio Regni, Silesitæ de metis sibi aliquid appropriare præsumant, verùm eædem in antiquo statu maneant, Articulive superindè conditi, ad prælibatos novos Aggeres extendantur; Terræ item & prata, Sylvæque Regno, & consequenter prioribus suis Dominis restituantur & reincorporentur. Interim verò tam respectu præmissorum,

bono-

bonorum, uti & Bicſe, Oroszlany Keö, Cſeithe & Berench, ſed & quoad loca & Bona reliqua Auſtriæ, Styriæ & Carnioliæ etiam contermina, inque controverſia exiſtentia, tàm ex parte Majeſtatis Suæ Sacratiſſimæ, quàm etiam hujus Regni, ex dictamine Conditionis 11. Diplomatis Regii modalitateque in publicis Regni Conſtitutionibus expreſſata, certi è numero Dominorum Prælatorum, Magnatumque & Nobilium, ſtante præſenti adhuc Diætâ, Commiſſarii ordinentur, determinenturque, ac Terminus (quod ſi id ob diſturbia & tumultus Regni commodè fieri poterit) Articulariter præſcribatur, quo in termino tales Commiſſarii deputandi ab utrinque comparere, ſepoſitiſque quibusvis impedimentis & dilationibus ejusmodi controverſias & difficultates metarum (non obſtante etiam in dictos Fürſtenfeldenſes, & Comitis de Batthyan toti Regno præjudicioſâ initâ quadam tranſactione, ac delegato contra familiam Zrinianam initô Judicio) complanare & rectificare poſſint ac valeant, debeantque ac teneantur: Si autem à parte Provinciarum iſtiusmodi effectuatio, fiendæque determinationis executio dilata fuerit, ex tunc Cauſa talis juxta præſcriptas Leges, ad partis comparentis inſtantiam, uti obtenta, in rem adjudicatam tranſeat, & per eosdem etiam cum Suæ Majeſtatis Sacratisſimæ benignâ aſſiſtentiâ, executioni omnibus opportunis mediis demandetur. Inclytæ quoque Reſpublicæ, ac ipſe Sereniſſimus Rex Poloniæ, prout & Illuſtriſſimus Princeps Tranſylvaniæ (ex quo non leves etiam ratione metarum & aliarum differentiarum inter Comitatum de Szaboles & Szatthmar, ac de Bereght, IncolasqueOppidi Debreczin, Comitatumque Bihárienſem intercederent controverſiæ) per internuncios, ſuper hujusmodi metarum controverſarum rectificatione, cum omnimoda injuriatorum ſatisfactione fiendâ, ſolutâ ſtatim Diæta, requiratur admoneaturque.

Et ſiquidem moderna Sileſitarum in metas Regni nimium damnoſa & præjudicioſa ingeſſio ex diſconvenientia etiam inter familiam Szunyogh de Budetin & alios jure Weſſelmiano, territoria illa verſus Sileſiam exiſtentia & habita, poſſidentes vigente, cum damnoquoque Regni invaleſceret. Eadem Porrò Familia Szunogh coram Statibus conquereretur, ſe ex iisdem territoriis, proceſſu quodam indirecto, culpâ Tutricis & Curatricis nonnullorum Orphanorum, iisdem in pupillari eotùm ætate conſtitutis, neque per ſe reſpondere valentibus, in manifeſtum eorundem Orphanorum, ac reliquarum ejusdem familiæ intereſſatæ perſonarum, damnum & præjudicium procedentis, per Comitem quondam Franciſcum Weſſeleny eotum Palatinum excluſam eſſe: Ideò intuitu etiam admaturandæ & facilitandæ inſtituendæ commiſſioni, decernunt Status & Ordines Regni, quatenùs pro controverſia eadem, ad

inſtan-

Digitized by Google

instantiam Magnifici Caspar is Szunyogh & reliquorum ejusdem familiæ Possessorum Budentiniensium hoc in passu cointeressatorum, vigore solummodò præsentis Statuti, ad mentem utpote Articuli 45. Anni 1659. Art. 20. 1635. per unum ex Magistris Protonotariis, nec non Vice-Comitem, Judicem Nobilium & Juratos Assessores Comitatus Trenchiniensis adscitis penes eosdem Jurisperitis Viris, non obstantibus quibusvis impedimentis, per formam Novi Judicii, juxta genuinum & Characteralem sensum Articuli 64. 1659. primo quoque tempore peremptoriè revideatur, & quod eatenùs Jus & Justitia dictaverit, per eosdem eo facto debitæ executioni mancipetur.

Indigitaret item Articulus 25. Anni 1649. quod juxta Suæ Majestatis Sacratissimæ resolutionem & annuentiam, ad instantias iteratas Inclytorum Statuum & Ordinum Regni factas, bona antehac ad Austriam possessa, Köszegh, Borostyankeö, Forchtenstein, & ad Regnum Hungariæ reincorporata haberentur, exmisso eotùm Dominio Mainersdorffiensi, quod siquidem ex ista parte Fluvii Laita, & intra viras ac Limites Regni Hungariæ situatum esset, ac ejusdem Dominii Mainersdorff Decimas Episcopus Jauriensis actualiter perciperet, sed & Plebani dicti Dominii à Jurisdictione Archi-Diaconi Mosoniensis dependentiam suam haberent. Ideò humilimè instant Status & Ordines, ut ex clementissima Suæ Majestatis Sacratissimæ annuentiâ idem quoque Dominium Mainersdorff, ad formam præcitati Articuli, Regno Hungariæ incorporetur, & Comitatui Mossoniensi applicetur, Legibusque & Constitutionibus ac Consuetudinibus approbatis Regni subsit. Similitèr etiam portio Venerabilis Capituli Castriferrei in Possessione Illimiz hactenùs ab Inclyto Comitatu suo Soproniensi dependentiam suam habens, ex quo residua, imò major pars ejusdem Possessionis in Comitatu Mossoniensi haberetur, eadem quoque Jurisdictioni Comitatus Mossoniensis Articulariter fienda subesse debeat.

Quô in passu Comitatus quoque Scepusiensis querulatur, qualiter Nobiles in medio Tredecim Oppidanorum Domos habentes, variis injuriis, ac personalibus opprimuntur incaptivationibus; nonnulli verò in Possessionibus Toporcz, Kis, & holomnicza ab oppidanis Podoliniensibus, Marcus-falvenses verò ab Iglovienlibus per territoriorum occupationes, pecorum & curruum arestationes, occupatorum territoriorum, metarum novarum violentas erectiones, turbantur. Similiter ex Dominio Neoforensi & Czorstiniensi, ac per Rusticos Possessionis Harilova in Polonia existentium, ex quo Magnificus Dominus Stephanus Polócsay, & familia Horvath Stanisch de Gradecz, quorum Possessiones & ter-

ritoria sunt Polonis contermina, dietim pari viâ & modo descripto, durante etiam hâc Diætâ, infestantur, Articulum 29. 1649. & Articulum 40. 1659. renovandum, & ad instantiam læsorum, negotium propter decessum ibidem resignatorum Commissariorum, non complanatum, per alios denominandos Commissarios complanandum, humilimè censerent Status & Ordines.

Ad rectificationem Regni metarum etiam loco demortuorum ordinantur sequentes: Ex parte metarum circa Austriam; Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Georgius Szecheny Archi-Episcopus Colocensis. Illustrissimus Dominus Comes Nicolaus Draskovich. Illustrissimus Dominus Comes Petrus Szechy. Reverendissimus Dominus Johannes Kalmanczay, Episcopus Scardoniensis. Spectabilis ac Magnificus Dominus Stephanus Orban, Personalis Præsentiæ Regiæ. Generosus Dominus Georgius Horvath Kissevich, Consiliarius Cameræ. Generosus Dominus Valentinus Szenthe, Vice Palatinus. Generosus Dominus Petrus Szapary, Ablegatus Comitatus Mossoniensis.

Ex parte metarum circa Moraviam: Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Johannes Gubasoczy, Episcopus Nitriensis & per Regnum Cancellarius. Illustrissimus Dominus Comes Stephanus Zichy Senior. Spectabilis ac Magnificus Dominus Stephanus Orban, Personalis Præsentiæ Regiæ. Spectabilis ac Magnificus Dominus Matthias Ostrosich. Generosus Dominus Georgius Gilani, Consiliarius Cameræ. Generosus Dominus Paulus Orban, Personalis Præsentiæ Regiæ Protonotarius. Generosus Dominus Johannes Mednyanszky, Comitatus Posoniensis Juratus Notarius. Generosus Dominus Emericus Kußegy, Comitatus Nitriensis Vice-Comes. Ex parte metarum circa Silesiam: Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Georgius Fenyessy, Episcopus Almisiensis. Spectabilis ac Magnificus Dominus Emericus Revay. Spectabilis ac Magnificus Dominus Alexius Revay. Spectabilis ac Magnificus Dominus Franciscus Pongracz. Generosus Dominus Georgius Trsztyanszky. Generosus Dominus Emericus Huszar, Vice-Comes Comitatus Thuroczienfis. Generosus Dominus Johannes Labsanszky. Generosus Dominus Stephanus Szulyovszky, aliter Szirmiensis. Ex parte metarum inter Styriam: Reverendissimus Dominus Paulus Szecheny, Episcopus Quinque-Ecclesiensis. Illustrissimus Dominus Comes Franciscus Eszterhazy. Illustrissimus Dominus Comes Johannes Draskovich. Reverendissimus Dominus Stephanus Telekessy, Præpositus Sancti Adalberti. Generosus Dominus Johannes Horvath, & Franciscus Bacsmegyei, Vice-Comites Comitatus Castri ferrei. Generosus Dominus

minus Johannes Pernelly, Comitatuum Sümeghienſis & Szaladienſis Vice-Comes.

Inter Croatiam, Sclavoniam & Styriam ac Carnioliam, Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Martinus Berkovich, Epiſcopus Zagrabienſis, vel loco ejusdem Reverendiſſimus Dominus Michael Bochak, Præpoſitus Major. Spectabilis ac Magnificus Dominus Nicolaus Keglevich. Generoſus Dominus Balthaſar Wragovich, Vice-Banus. Generoſus Dominus Petrus Antolcſich, Regnorum Croatiæ & Sclavoniæ Protonotarius, item unus vel alter ex Vice-Comitibus Comitatuum Zagrabienſis & Varasdienſis.

In Partibus Regni Hungariæ Superioribus, ex parte Metarum inter Poloniam Reverendiſſimus Dominus Andreas Szebeſteny, Epiſcopus Tranſylvanienſis. Illuſtriſſimus Dominus Comes Stephanus Cſaky Senior. Illuſtriſſimus Dominus Comes Sigismundus Homonnay. Generoſus Dominus Gabriel Kapi. Generoſus Dominus Stephanus Szirmay. Generoſus Dominus Ludovicus Sztankay. Generoſus Dominus Balthaſar Görgey. Generoſus Dominus Franciſcus Puthnoky.

Ex parte Metarum inter Tranſylvaniam: Futurus Epiſcopus Agrienſis, vel Præpoſitus Major ejusdem Capituli, Reverendiſſimus Dominus Georgius Horvath. Magnificus Dominus Ladislaus Karoly. Magnificus Dominus Johannes Prinyi. Generoſi Domini Adamus Kende, Petrus Nyakas, Franciſcus Klobuſiczky & Adamus Way.

In eô quoque inſtant ſuppliciter prælibati Regnicolæ, quô Majeſtas Sua Sacratiſſima, authoritate Suâ Cæſarea & Regia, in eo cooperari dignetur, quatenùs ultroneè ac benevolè præfati Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini Archi-Epiſcopi Colocenſis oblato ære Arx Lublyo, & Tredecim Oppida Scepuſienſia Regno Poloniæ oppignorata, una cum cunctis ſuis pertinentiis, utilitatibus & metis, ad eandem & eadem de Jure & ad antiquo ſpectantibus ac pertinere debentibus, inque Literis Inſcriptionalibus ſuperindè confectis, clarius ſpecificatis, vigore etiam Articulorum ſuperindè Diætatim conditorum, pro uſibus & neceſſitatibus Confiniorum Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ Partium Regni Hungariæ Superiorum applicandis, ſtante præſenti Diætâ, redimi valeant.

Et quamvis plurimæ exſtarent Regni Conſtitutiones, ne vina Hungarica, alia que res venales, ſeu victualia, ad hæreditarias Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ Provincias induci impediantur: intereà tamen illarum Provinciarum Regnicolæ, quod Boves, Cutes, frumentum, aliaque commoditatibus ſuis deſervientia, ultrò præemere ſoleant, vina autem Hungarica contra manifeſtas Regni Conſtitutiones, per Suam Majeſtatem quoque

confirmatas in Hungaria emere, exindeque in Provincias Suæ Majestatis inducere non permittant. Ideò statuendum censerent Regnicolæ, ne id peramplius contra mentem confœderationum & commerciorum, ac in prioribus præcedentibus Diætis Statutarum Legum, præjudiciosè practicari præsumatur. Orientalis demùm Quæstorum Compania, in diminutionem Regiorum proventuum, præjudiciumque & interceptionem Quæstus ac Lucri Regnicolarum introducta, penitùs aboleatur, superindeque condendum Statutum, æque ad Regna Croatiæ & Sclavoniç intelligendum esse.

9. Non postrema Patriæ nocumenta promanare & influere in Regnum, membraque ejusdem assolerent, vel ex eo etiam, quod nonnulla Officia Secularia, ac beneficia Ecclesiastica, promiscuè ferè, ac indifferenter Extraneis, nullo habito eorundem de Patria benè meritorum respectu, conferantur: Instarent proindè Status & Ordines Regni quàm humilimè, quatenùs Sua Majestas Sacratissima, juxta Conditionem etiam Quartam benigni Diplomatis Sui Regii, ibidemque citatum Articulum Anni 1608. Item Articulos 23. 1622. & 16. 1655. Annorum, universas præfecturas Generalatium, Supremorumque & Vice-Capitaneatuum, ac alia Regni officia, sicuti & Beneficia Ecclesiastica de facto vacantia, & vacatura, idoneis nativis & benemeritis personis sine discrimine Religionis, juxta antiquum morem & consuetudinem cum pristinâ authoritate & potestate, clementer conferre dignetur, neque inposterùm hujusmodi Extranei, signanter verò Ecclesiastici introducantur.

10. Licet circa Juris & Justitiæ administrationem Judiciorumque Octavalium majorum & minorum, seu Brevium, nec non Extraordinariorum & Transmissionalium, statis suis temporibus celebrandorum, plurimæ exstarent Regni Constitutiones, tàm Conditione 5. Diplomatis Regii, quàm verò Articulo 34. & 41. Anni 1659. expressæ; quia tamen his Annorum revolutionibus propter diversa impedimenta, aliaque nonnullorum causis suis diffidentium subterfugia, similia Judicia interturbata exstitissent; ideò summè necessarium videretur, ut Anni ab eorundem ultima celebratione, usque ad futuram promulgationem à præscriptione pro exemptis habeantur, taliterque exempti cautelæ Articuli 43. 1649. adnumerentur, siquidem non causantium culpâ, sed temporum injuriâ talium Judiciorum celebratio retardata fuisset: Atque ut Sua Majestas Sacratissima similia Judicia, non obstantibus quorumvis contrariis opinionibus & votis, statis suis temporibus, tàm in Superioribus, quàm Inferioribus Regni Partibus continuè promulgari & celebrari facere, aut Suâ Majestate Sacratissimâ aliis majoribus curis præ-

Digitized by Google

pedita, Domino Comiti Regni Palatino eatenùs authoritatem Articulariter concedere dignetur.

Et quia Legitimi Juris Cursus, diversis Regni vetitis tàm Inhibitoriis, quàm Reexecutoriis, cum magna Causantium jactura interturbarentur: Ideò Articulum 45. 1659. renovandum censent, & strictiùs observandum: hoc declarato, ut expositionem talium Mandatorum, coràm illo Judice, cui sonant, in foro Contradictorio, non obstante in Cancellariis tali quali ejusdem edoctione, simpliciter edocere debeant, eandemque parti adversæ coram Judice disputare integrum est.

Quamplures Causantes querulantur & in eo, indubitata Sua Jura periclitari, quod licet de alterius etiam generis, illegitimis Præceptoriis, Executoriis Mandatis, ad instantiam procedentis partis, à superioribus Regni Judicibus ad inferiores directis, aut dirigendis, inter alias Regni Leges Articulo 53. Anni 1655. cautum exstet, ne talia in nulla Lege fundata, præsertim cum exclusione Juridicorum remediorum, vel Justificatoriæ clausulæ, extradentur, quorum virtute Magistri Protonotarii, aut alii inferiores Justitiarii, Causas Tabulam Suæ Majestatis Sacratissimæ Regiam concernentes sibi præsumere possint in partibus discutiendas, tantum tamen hactenùs abfuisset, ut ab illis tum committentes Superiores, tum verò commissi Inferiores Judices abstinuissent, quin potiùs illi quidem, similia simplicia Executoria in nullo omninò, vel si aliqua, ea tamen de alia materia & diverso processu sonante Lege, indirectè & adumbratè radicata, etiam cum insolitis derogatoriis & peremptoriis Titulo quoque 11. Partis 2. Decreto Operis Tripartiti, vetitis clausulis expedire fecissent. Hi verò penes easdem Causas prædeclaratam Tabulam Regiam concernentes, & Privilegia ad præviam Judiciariam eorundem expeditionem produci necessitata, discutienda & dirimenda pro se vendicassent, nihilque aliud pro ratione & à parte sui reponentes, quàm sibi ita, prout superior Judex mandaret, procedendum esse; Sed & persæpè pars adversa contra ejusmodi mandata, ac vigore eorundem institutos Processus, etiam cum debitâ honestate & reverentiâ, metuens sibi à pœnâ violationis sedis infligenda, excipere ausa non fuisset; Quod cum in præjudicium & derogamen positivarum Legum, dispendiumque Jurium Causantiam evidens vergeret, priorum Diætalium Leges de illegitimis hujusmodi mandatis sancitæ, renovandæ & huc extendendæ censerentur: Ita ut similia mandata nequaquam expediantur, expeditis verò imposterùm per inferiores Judices, sub amissione eorundem Officiorum, tempore executionis, revisionis, transmissionis, talium Causarum contra se pronuncianda, nullus locus detur; eò minùs vigore eorundem

Digitized by Google

quidpiam Causantium coram ipsis ad Juristandum compelli possint, quin & Judicia penes eadem fors intendanda, eo facto nullius sint firmitatis, liceatque omnibus causantibus cum honestate, citra incursum præinsinuatæ pœnæ, contra similia excipere, salvâ nihilominùs in facto Divisionum, successionum, ac aliorum id genus processuum, Superiorum & inferiorum Judicum authoritate in reliquo illibatè permanente.

[Contradictio ex parte complurium Regnicolarum, quoad Mandata illegitima, Inhibitoria & Reexecutoria, ut videlicet impetratores talium vigore Articuli 45. 1659. abolitorum, non modò in pœnâ ibidem specificata, verùm in onere quoque florenorum quingentorum ad instantiam Partis triumphantis citra aliam Commissionem, compertâ in præmissis merâ rei veritate, toties quoties ipso facto exequendorum, ac inter Judicem sub amissione Officii sui, expositionem & illegalitatem ejusmodi mandatorum dijudicare debentem, nec non læsam partem dividendorum, puniantur. Circa hæc præmissa, subsecutis inter Dominos Magnates & Regnicolas talibus Disputationibus, deventum est ab utrinque eò, ut in Augustissimam Suæ Majestatis Sacratissimæ præsentiam eadem difficultas relegetur.]

Illud quoque Statibus & Ordinibus Regni subnectendum pernecessarium visum est, ut Mandata ex Hungarica Regia, vel aliorum Judicum Regni Ordinariorum Cancellariis, etiam vi Articuli 12. 1635. semper in Legibus Regni radicata, & cum clausula Justificatoria, in partibus duntaxat coram Judice suo edocenda expediantur: Secusque expeditis, & in nulla lege fundatis, dictante Articulo 53. 1655. & 45. 1659. ipso facto (non obstante etiam expositionis ejusdem per prius coram Cancellariis factâ comprobatione) nullus locus detur: Magistri verò Protonotarii virtute talium Mandatorum, Commissionisque Judicariæ inibi contentæ ad mentem Articuli 77. 1647. ad facies controversorum bonorum, ob metum nimirum & formidinem Turcarum ac aliorum refractariorum in casu præfixionis factæ exire volente, eatenùs ex parte loci designandæ securitati commoditatis, & Vicinitatis non tantum suæ propriæ, verùm etiam unius & alterius partis Causantis parem habeant rationem; Neve invitis & minùs assentientibus Causantibus, alias in gremio tredecim Comitatuum Superiorum Hungariæ degentibus, præcipuè cum bona litigiosa ibidem existerent, extra metas eorundem tredecim Comitatuum terminare possint: Si autem ad facies ejusmodi bonorum litigiosorum, ob legales quasvis rationes & impedimenta, partibus Causantibus terminare nequirent, eo in Casu ii immediatè proximiori Comitatu terminare debeant;

Digitized by Google

debeant; imò ne majoribus expensarum profusionibus & fatigiis Causantes aggraventur, Superioris Hungariæ Status & Ordines, ad mentem Articuli 23. 1655. pro Judice Curiæ Regiæ & Protonotario sibi in illis partibus denominando instarent; In partibus verò Cis-Danubianis unus Protonotarius & nonnulli Tabulæ Regiæ Assessores sine discrimine Religionis constituantur, Status & Ordines etiam æquum judicarent. Demum si iidem Protonotarii, vel etiam Vice-Comites & Judices Nobilium aliorum negotiorum suorum interventu præpediti, terminos partibus legitimè præfixos, per se solos differendos in votis haberent, tali in casu in causam attractis priusquàm ad faciem loci Judicaliter designati incassum sese fatigarent, & inanes facerent expensas (nisi tamen legitimè impediti existentes) dilationem terminorum ad notitiam dare, integrum ducant. Casu verò, quo Actores quoque idem faciendum certis suis ex rationibus in propositis habere vellent, ex tunc hujusmodi intentionem suam, tàm Judici, quàm parti adversæ, tempestivè ad notitiam dare teneantur. Alioquin ad refusionem expensarum parti in causam attractæ pro termino & loco fatigiosè & expensivè comparenti, per Judicem procedentem conscientiosè in affuturo alio termino limitandarum, ac ipso facto irremissibiliterque ex bonis ejusdem, authoritate Judicis ejusdem exequendarum obnoxii reddantur. Extensiones porrò terminorum hactenus practicari cœptæ taliter continuandæ venirent, ut videlicet, necdum exspirato Partibus litigantibus suo modo præfixo termino, à die hujusmodi extensionis fiendæ, rursus competens terminus præfigatur, neque per eosdem in Causis Divisionum (ubi similia divisioni obnoxia bona, in uno duntaxat Comitatu existentia haberentur (ac Pignoratitiorum, usque ad summam Comitatuum attributam (salvâ hoc in passu authoritate Protonotariali veteri & Consuetâ in Regnis Croatiæ & Sclavoniæ in suo vigore permanente) procedatur.

In eo etiam Causantes, & præcipuè pauperiores, se nimium aggravari potentioribus querulantur, quod in justis suis Juribus, licet justissimo & legitimo Juris processu acquirendis, tempore ipsarum latarum Deliberationum, exindeque subsecutarum legitimarum executionum, turbentur, dùm videlicet per potentiores sese Judiciariæ executioni opponendo, eandem non admittunt, vel verò bona jam judicialiter executa propria authoritate violenter reoccupent, gravissimam alias notæ infidelitatis pœnam in Articulis Regni expressam, Processu Octavalium Judiciorum contra se pronunciandam ex eo capite, quod intra multas Annorum decades Judicia Octavalia Celebrata non fuissent, incurrere non formidantes: Quare indemnitati similium causantium Regnicolarum prospectum iri

ri cupientes, justum judicarent, ut tales violenti Legitimarum executionum non admissores, præter pœnam homagialem Quinquaginta Marcarum, per Judicem principalis causæ ipso facto exequendam, etiam in refusione expensarum, in executionem præscriptorum bonorum per assistentiam Comitatus, vel etiam Suæ Majestatis Sacratissimæ Brachialem fiendam, damnorumque (si quæ hujusmodi executionis occasione parti ipsi triumphanti in bonis ipsi adjudicatis emerserint) per eundem judicem causæ exequendarum refusione convincantur. Quo verò ad violentos bonorum judicialiter executorum occupatores; ipsi propter homagialem expensarumque & damnorum refusionis pœnam modo prævio exequendam, etiam in refusione fructuum ex talibus bonis, medio tempore violenter perceptorum, similiter per eundem Judicem conscientiosè limitandorum convicti habeantur.

[Contradictio itidem Dominorum Regnicolarum, quoad violentos bonorum judicialiter executorum reoccupatores, contra quos simpliciter pœnam Calumniæ, nec quidem virtute Novi Judicii cum gratia resuscitandam inserandam voluerunt; Dominis Magnatibus in eandem consentire recusantibus, & ad invicem altercantibus: undè hæc quoque difficultas in præsentiam dictæ Majestatis Sacratissimæ relegata exstitit.]

Id quod ad præteritas quoque Executiones, per violentas oppositiones turbatas, atque executorum & apprehensorum bonorum potentiarias reoccupationes in præsentiarum ab indè ineffectuatas pendentes, tempusque præscriptionis non transcedentes, in tantum quantum ad Judiciariam admonitionem superinde erga se præmittendam, ejusmodi oppositionibus, & executorum bonorum reoccupationibus succumbentes, pro triumphantibus non cesserint, extensum esse volunt, æquum censentes, quatenùs is, qui in acceptanda violentâ oppositione, seu reoccupatione legitimum Juris processum, ejusdemque ulteriora remedia licita contemnit & postponit, ne eadem in futurum eidē etiam ejusmodi in casu suffragari queant.

11. Et quia præter hæc præmissa, pro moderna duntaxat temporis ratione humilimè præsentata, restarent alia complurima, longâ temporum seriè accumulata, ac non minùs Regnicolis, quàm Libertati & Prærogativæ Nobilitari multum præjudiciosa & gravia Regni Gravamina, quibus hoc rerum Statu (nolentes Suam Majestatem Sacratissimam variis distractam curis magis & magis aggravatam iri) cum annuentiâ quoque ejusdem Majestatis Sacratissimæ dilatis, instarent Status & Ordines humilimè, quatenùs altementionata Sua Majestas Sacratissima, pro eorum-

rundem quoque pari complanatione, intra spacium unius anni novam Generalem Regni Diætam Posonium, tanquam locum Directionis Regni Articularem indicere atque promulgare, Clementissimè dignetur.

Compendium Gravaminum Regnorum Croatiæ, Dalmatiæ & Sclavoniæ ex aliis extractorum.

QUod Majestas Sua Sacratissima ex innata Suâ Gratia & pietate, singularique erga fideles suos Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Regnorum Suorum Stat. & Ord. Zelo Illustrissimum Dominū Comitem Nicolaum Erdödy de Monyorokerek &c. tàm suis præclaris meritis ornatissimum, quàm Prędecessorum suorum heroicis gestis conspicuum, iisdem Statibus & Ordinibus in Banum, cum plenâ ejusdem Banalis authoritatis dignitate sublimare clementer dignata sit, pro eo Majestati suæ Sacratissimæ immortales iidem Status & Ordines referunt gratias, demissè supplicantes etiam ulteriùs, quatenus Majestas Sua Sacratissima, tàm eosdem in pristinis suis Libertatibus ac indultis, quàm ipsum Dominum Comitem Banum ad mentem Articuli 32. 1638. sensumque Conditionis 7. Diplomatis Regii & aliarum in eodem Articulo 32. præcitatarum, ac alibi passim sancitarum Legum benignè conservare dignetur. Ut autem prænotatus Dominus Comes Banus, officio suo sic exigente, & Majestatis Suæ Sacratissimæ, Augustissimæque Domui Austriacæ Regnis illis & Vicinis Provinciis, adeòque toti Christianitati commodiùs invigilare & prospicere possit, hostilesque impetus refrænare valeat: Instant humilimè iidem Status & Ordines, vellet Sua Majestas Sacratissima militiam Banalem exauctoratam ante Annos aliquot, ob cujus defectum nonnullæ vigiliæ Banales totaliter vacuę manerent, & in reliquis quoque similibus vigiliis, ad obeundas ejusmodi excubias, miles etiam restans insufficiens esset, ad pristinam normam, imò majori etiam numero, jam antea cum certo & infallibili tàm ipsi Domino Comiti Bano consueto, quàm militibus Banalibus subministrando stipendio redintegrare, ueatenùs confinia milite sufficienti provisa, ad singulas necessitates in tempore succurrere possint, aliàs enim nisi passus & vigiliæ Banales modo prævio constitutę, non benè provisæ, congruo & necessario militum numero præmuniantur, facilis Christiani nominis hostibus in viscera Regnorum illorum, & etiam vicinas Provincias hæreditarias Suæ Majestatis Sacratissimæ, Styriam & Carnioliam irrumpendi pateret aditus, idemque hostis ad propria sine incommodo suorum cum captivis & spoliis prædaque onustus remeare valeret; Ad quod malum evitandum Majestas Sua Sacratissima tàm provisionem pulveris tormentarii, quàm etiam majorem & minorem tormentorum,

mortariorumque ex fusinis Zriniano-fiscalibus subministratione, ac alia necessaria, juxta Conditionem 8um. Diplomatis Sui & Articulum 11m. & 12m. Anni 1609. benignè clargiri dignetur.

42. Clementer meminisse dignetur Sua Majestas Sacratissima, qualiter Status & Ordines Regnorum Croatiæ & Sclavoniæ superioribus præter lapsis annis & temporibus, per diversos Articulos Processum coram Illustrissimo olim Domino Comite Palatino institutum, Diplomataque Regia, innuente id Articulo 33, 1635. & aliis in eodem citatis, ac tandem ultimò per Articulum 89. 1659. Valachos & Prædvceos in territoriis Regnicolarum prætactorum Regnorum Croatiæ & Sclavoniæ commorantes, sibi restituendos, & Sacræ Regni Hungariæ Coronæ incorporandos obtinuissent, & tandem Articulum, præcitataque Diplomata & Sanctiones in eo citatas effectui mancipari, & debitæ executioni demandari expetiissent; nescitur tamen, quibus ex rationibus hoc ipsum ineffectuatum extitisset, cum gravi damno & præjudicio illorum Regnorum. Idcircò prælibatos Articulos, Diplomata & Leges in eisdem citatas renovari, & tandem executioni demandari, modo & Ordine in eodem Articulo 89. præspecificato humilimè postulant.

Prætacti Status & Ordines Articulum 90. 1659. super cassatione Privilegiorum prætactorum Valachorum conditum, & in eodem attactum renovandum supplicant.

Ulteriùs etiam exponunt, quod plurimi in territorio Regnicolarum constituti Valachorum & Sclavorum, licet aliàs Dominis Regnicolis Terrestribus suis subjecti essent, Dicam tamen in medium Regni per alios Subditos pro necessitatibus Regni pendi solitam, præstari tergiversarentur: ut tales refractarii adhibito etiam, ubi opus fuerit, brachio Banali, ad obedientiam, & in medium Regnicolarum contribuendam Dicam, ac alia onera ad instar aliorum Regni Subditorum subeunda compellantur, & Domini Capitanei, aliique Officiales Confiniorum eosdem tueri nequaquam præsumant, Sua Majestas Sacratissimà benignè mederi & effectuari facere dignetur.

Licet certi Valachi in Possessione Oszegh, & in Comitatu Crisiensi commorantes, vigore Articuli 92. 1659. aliò translocari propter mala facinora sua deberent; tantum tamen abest quod nec translocati essent, nec ab eisdem facinoribus in prætacto Articulo specificatis abstinerent, quin potiùs indies pejora & graviora patrare non cessarent. Proindè Status & Ordines Regni præcitatum Articulum quantò citiùs effectuandum humilimè petunt.

Tem-

Digitized by Google

Tempore verò aperti belli juxta *Leges* superindè sancitas, usumque suum iidem Status & Ordines insurgent.

Non sine gravi damno & præjudicio dictorum Regnorum Subditi & Jobbagiones unà cum prolibus & familia, ad Confinia Sclavoniæ, nonnunquam debitis contractis, nonnunquam flagitiis diversis perpetratis, metu pœnæ correpti, transfugere, ac Dominorum Terrestrium suorum vacuis territoriis relictis, ibidem divagari solent, exindeque odio commoti, contra Dominos suos Terrestres, & reliquos Regnicolas, furta, prædonia, diversosque actus facinorosos exercent, iidemque Subditi bellare ignari, pro ludibrio per Valachos habiti, periculis exponuntur, plurimique aut nece miserabili per Turcas afficiuntur, aut verò in diram captivitatem abducuntur, prolesque & familia ipsorum per Valachos, plerumque nationi Croatiæ & Sclavoniæ infensos, in Turciam divenduntur. Ea propter Status & Ordines, modo quô supra, humilimè postulant, ut Domini Colonelli seu Capitanei Confiniorum, tales subditos fugitivos nullo unquam tempore ad Confinia recipiant (quæ aliàs plena sunt populo) imò receptos ad requisitionem Dominorum Terrestrium restituant, eo facto, sub pœnâ florenorum Quingentorum per Suam Majestatem Sacratissimam pro parte læsa infligenda, & de salario eorundem persolvendo, in una parte Judici executori, in alia verò damnificato & injuriato cedente.

Illud quoque maximo præjudicio Regni, & detrimento Cathedralis Ecclesiæ Zagrabiensis factum exstitisse Status & Ordines animadverterunt, quod miles Suç Majestatis Sacratissimæ ante annos perpaucos arcem Sziszek, in confluentis Colapis & Szavi sitam, aliàs bonum Ecclesiasticum per Capitulum dictæ Ecclesiæ à fundamentis restauratum, & per multos centenos annos, cum gravi expensarum erogatione, non sine fructu Patriæ, etiam cum profusione sanguinis, & vitæ amissione Canonicorum suorum conservatum, de manibus dictæ Ecclesiæ eripuisset, & occupasset, ac Jurisdictione Sacræ Coronæ & Regni abstraxisset & unum Commendantem, cum viginti quinque circiter militibus in eam collocasset; qui quidem Commendans proprii lucri aviditate permotus, militibus Regni & Bani, beneficio dictorum fluviorum ad Vigilias Regni perlustrandas & obeundas, quæ infra arcem eandem ad partes Turcicas, uno quasi miliari sitæ essent, pulsus investigandos, ac aditus inimici Turcæ impediendos, vel verò aliquod lucrum ex piscatione aut venatione ferarum acquirendum, proficiscentes, ac cum prædis in aquis aut sylvis, cum maximo vitæ discrimine adeptis redeuntes, prouti etiam afflictos captivos transeuntes impedit, captivat, (non habitâ ratione etiam Nobilitaris prærogativæ) resque eorundem quascunque etiam lytrales

& prædas,modo prævio,piſcatione aut venatione, vel etiam aliter acquiſitas violenter adimit, & in uſus duntaxat ſuos convertit. Quæ Arx & aliàs propter non reparationem, & non bonam invigilantiam, eò rerum devenit, quod niſi brevi temporis ſpatio prioribus ſuis Poſſeſſoribus reſtituatur, extremam caſura eſt ruinam. Supplicant itaque Status & Ordines,ut eandem Arcem Sacræ Coronæ & Regno incorporari, præfatisque Poſſeſſoribus reſtitui facere Sua Majeſtas clementer dignetur.

Ad inſtantiam Venerabilis Capituli Zagrabienſis occaſione Decimarum de Metlin Articulum 119. 1647. hoc loco renovari & confirmari petunt Regnicolæ, qui etiam in Anno 1659. per Articulum 96.confirmatus ad finem extitit.

De pulſione boum ad portum Bukary per Regnum Sclavoniæ & Croatiæ,ut Articulus 101, 1659. ſimul cum aliis in eodem citatis renovetur,inſtant.

Articulum quoque 100. 1659. nec non etiam Articulum 97. ejusdem Anni,reliquoſque in eisdem citatos,cum eâ declaratione, ut in poſteriori Articulo,ſcilicet 97. Generalatus & Colonellatus ſubintelligantur, & comprehendantur,unusque Generalatus,& pari numero Colonellatus nativis Croatis, aut vero Provinciali Styriaco conferantur, unà cum aliis ibidem citatis renovari & confirmari communibus votis & ſuffragiis cupiunt.

Non absque formidine inaudiverunt Status & Ordines, quod bona Zriniano-& Frangepano-Fiſcalia maritima & Croatica, Provinciæ externæ & alienigenæ,arendationis,aut alio quopiam titulo, in evidens damnum & prçjudicium Regnorum præfatorum, Confuſionemque metarum inter Regna & Provincias emergendarum ſibi vendicare adniterentur. Ut itaque hçc præcaveantur, & bona præmiſſa à Jurisdictione Sacræ Coronæ & Regni, aliàs per ſe ſatis anguſti,non auferantur, metæque confuſionem aliquam ne patiantur; ut tali in caſu potiùs alicui ex Indigenis & Regnicolis,quàm Provinciç Styriacæ, vel alicui alteri externæ, aut verò Reipublicæ Venetæ,ſimili arendationis (ſi eò deventum fuerit) aut alio quopiam titulo conferantur,& poſſidendæ tribuantur,Status & Ordines ſupplicant.

Contingit frequenter,quòd Juſtitiæ curſus & Judiciariarum deliberationum, juxta dictamina Legum & Conſuetudinum Patriæ latarum, & pronunciatarum legitimæ executiones, per Mandata Inhibitoria & prorogatoria,& his ſimilia,etiam contra Conditionem Quintam benigni Diplomatis Regii, ad partis adverſæ leves quascunque & juribus diſſonas informationes,emanata & expedita impediantur, Cauſantes etiam poſt maxi-

Digitized by Google

maximarum expensarum erogationes cum evidenti ruina sua fructu executionis (qui finis est Justitiæ) carere coguntur: æquum proindè ac pernecessarium judicant Status & Ordines, ut ejusmodi Mandata non expediantur, Judicesque etiam expeditis locum dare non teneantur, aut non obtemperantes eisdem, pœnæ alicui subjacere debeant, imò impetratores hujusmodi mandatorum, comperta rei veritate, pœnam florenorum Centum incurrant eo facto.

Illud etiam damnum & præjudicium Regno non leve causat, quod Illustrissimus Dominus Comes Johannes Josephus ab Herberstein, Generalis Carlostadiensis, bona nonnulla itidem Zriniano- & Frangipano-Fiscalia in Regnis illis, inque Comitatu Zagrabiensi sita, utpotè, Novigrad, Suecsay, Sernovicza & Zuarcsa, ac quædam alia ad præsens possideret, & eadem ab oneribus & Jurisdictione Regni ob fructum proprii lucri abstrahere conaretur. Et quia bona præmissa absque ullo commodo & utilitate tàm Suæ Majestatis, quàm præmissorum Regnorum Statis angustorum & afflictorum emolumento possiderentur, Status & Ordines demissis rogant precibus, ut Sua Majestas Sacratissima, ex innatâ Suâ Clementiâ & liberalitate, quâ in conservationem eorundem perpetuò fidelium Regnorum suorum semper ferebatur, ferturque etiam ad præsens, bona præfata Novigrad, Suecsay & Szernovnicza, eisdem Regnis benignè in sublevamen exsolutionis militis Colapiani per Regnicolas conducti, & per plures annos cum maximo onere, & debitorum etiam ad plura millia sese extendentium contractione, solvi soliti, applicare & conferre dignetur; Zuarcsa verò cum suis pertinentiis Jurisdictioni Regni & oneribus consuetis subjecta, prout & antea semper fuit, per eum, cui competeret, possideatur, & esse debeat.

Ad importunam quorundam instantiam præteritis annis & temporibus apud Suam Majestatem Sacratissimam factam occasione ratificationis metarum inter Regnum & nonnullos Regnicolas, ac Provinciam Styriæ, ejusdemque quosdam Dominos Magnates & Provinciales, ex Commissione Suæ Majestatis Sacratissimæ & Ordinatione, certa quædam particularis Commissio instituta extiterat, signanter circa metas bonorum Vinitensium & Csaszarvara dignum censent, ut ejusmodi Commissiones Legibus vetitas Sua Majestas Sacratissima clementer dignetur imposterùm abolere, & petentes ad Articulum 30. 1655. & alios in eodem attactos relegare, alioquin particulari ejusmodi Commissioni, Regnicolæ & Regnum obtemperare nullatenùs teneantur, multò minùs autem inviti extra legitimos Juris processus, juxta Articulum 42. 1649. commissionibus graventur. Pro metis autem Arcis & Possessionis Grob-

N 3 nik,

nik, Gerovo, Csaba, universisque Territoriis, ad Sacram Regni Coronam spectantibus rectificandis, juxta Articulos superindè conditos, Commissarii ex parte Regni, Reverendissimus Dominus Episcopus Zagrabiensis, eo verò impedito, Præpositus Major loci illius, Magnificus Dominus Nicolaus Keglevich, Liber Baro de Busin, Dominus Vice-Banus ac Magister Protonotarius Regnorum illorum, ac unus vel alter ex Vice-Comitibus Zagrabiensis & Varasdiensis Comitatuum denominantur, & per Suam Majestatem quoque certos similiter Commissarios, ex Suâ & dictarum Provinciarum parte denominandos postulant, salva in locum absentium, vel impeditorum Regni Commissariorum pro Domino Comite Bano substituendi facultate permanente. Quæ Regna, ut in antiquis suis Juribus, Privilegiis & Consuetudinibus conserventur, lustratioque Comitatensium gentium in illis Regni, ad Commissionem Domini Comitis Bani, per Vice-Comites Comitatuum, juxta Leges superindè sancitas exactè fiat, Status & Ordines Regni æquum esse judicant. Et licet in Articulis 74. 1655. & 99. 1659. expressatum sit, quatenùs miles Germanicus ex Arce Varasdiensi deberet educi, nihilominùs tamen eductus hucusque non est, quinimò majores insolentias circa fossata Arcis, penes & intra ipsa mœnia præfatus miles inferre non cessaret, horros & domos ibidem exstruendo, censum antea pendi solitum denegando, in educillium Domini Comitis Possessoris antelatæ Arcis, per suas educillationes sese immittendo, inconsuetas quæsturas cum diminutione etiam Proventuum Regiorum, in Jurisdictionem ejusdem Domini Comitis & Regni, Comitatusque & Civitatis Varasdiensis sese ingerendo exerceret. Ob id igitur benignè Sua Majestas Sacratissima præcitatos Articulos renovare, & effectuari facere dignetur.

Nec illud intermittendum videtur, quod per pascuationes milites Confiniarii, tàm Varasdiensi, quàm Carlostadiensi Generalatui subjecti, per se & alios sibi associatos, non leves in fœnilibus Regnicolarum inferant injurias, & signanter in districtu Droganich propè Carlostadium, ubi antea à Festo Sanctorum Philippi & Jacobi Apostolorum, usque ad Festum Nati Vitatis S. Johannis Baptistæ exercere solebant pascuationes, postmodum verò ad Festum Sanctorum Petri & Pauli novi Calendarii, nunc verò ad idem festum veteris Calendarii abusivo modo protraherent, sicque plebem omni fœno destitutam reddent, ut Art. 98. 1659. & alii in eodem citati confirmentur, exactèque sine omni ulteriori dilatione observentur & effectuentur.

Quoniam sat graves injurias & violentias Domini Colonelli, in Confiniis Sclavonicis & Croaticis, in bonis, prædiis, silvis, aquis, piscaturis &

pis-

piſcium clauſuris,fundisque Curiarũ & Domorum inferre continuò non ceſſarent, fructusque & utilitates ſibi vendicarent. Eapropter Status & Ordines demiſsè inſtant, ut Sua Majeſtas Sacratisſima, per ſua media & benigna Decreta ejusmodi injuriis & violentiis obviare,dictosque Dominos Colonellos prohibere ab iisdem inferendis gratiosè velit.Imò ut Regnicolæ in & circa Confinia, loca deſerta & prædia, ac bona habentes, hominibus replere, pro emolumento & defenſione Patriæ, quorumvis Colonellorum Confiniariorum, aut aliorum reclamationibus obſtare non valentibus, posſint & valeant. Quâ occaſione etiam Articulum 49. 1647. confirmandum & ſimili modo effectuandum petunt; comprehendendo univerſaliter omnes Officiales & milites germanos.

Articulum 4. 1649. ſuper mediæ Triceſimæ auctionem, in Regnis Sclavoniæ & Croatiæ quotannis provenientis, pro milite Colapiano convertendã editum, Status & Ordines confirmari, & eandem medietatem Triceſimæ in exſolutionem ejusdem militis continuò convertendam humilimè rogant. Et ſiquidem tùm propter ſterilitatem Patriæ, tùm etiam propter exiguos proventus, auctionis ejusmodi mediæ Triceſimæ præfatus miles exſolvi nequiret, Status & Ordines medietatem de earundem Triceſimarum Ordinario proventu, in allevamen prætacti militis Regni exſolvi demiſsè poſtulant.

Et quia Regna Croatiæ & Sclavoniæ diverſa Statuta ſua ſpecialia, per Divos quondam Hungariæ Reges benignè confirmata haberent, juxta quæ perſæpè Judiciarias deliberationes pronunciant, eædemque Deliberationes & Judicia ex tabula Banali illorum Regnorum, ad Tabulam Suæ Majeſtatis Regiam per viam Appellationis conſueverunt deduci, ibidemque non habitâ cognitione Statutorum præmiſſorum Regnorum, ejusmodi Judicia perſæpè emendari contingerent, quæ non absque notabili remora juſtitiæ, & expenſarum profuſione Cauſantium in longum protelari ſolerent; Juſtitiæ itaque in eo conſulentes Status & Ordines poſtulant, ut Magiſter Protonotarius præfatorum Regnorum, etiam in Tabula Regia Judiciis Octavalibus Ordinariis & Extraordinariis ac Brevibus locum, votum & diarium, ad inſtar aliorum Protonotariorum habeat.

Cum gravibus lamentationibus expoſcunt Liberę Regiæque Civitates horum Regnorum, ut ſunt, Varasdienſis, Criſienſis, Capronczenſis & Segnienſis, quòd varias injurias, oppresſiones, in Juribusque & Conſuetudinibus ſuis longo uſu practicatis, turbationes à Dominis Colonellis Officialibus, cœterisque militibus Germanis ibidem ſtipendia merentibus, indies tolerare cogerentur, qui ſpretis & vilipenſis Privilegiis, & immuni-

nita-

nitatibus Civilibus à Divis quondam Hungariæ Regibus ipsis veluti peculiis suis benignè concessis, Cives ipsorum captivant, vina sua in damnum evidens Civile educillant, & tàm nativi, quàm alii externi Officiales, & nonnulli milites, domos, hortos, fundos, terras, fœnilia aut vineas in territorio Civili possidentes coram Magistratibus, & Judicibus Civitatensibus in Judicio stare renuunt, licet Civitatibus ejusmodi causas discutiendi absoluta potestas attributa sit, imò deliberationes Judiciarias, juxta Leges & Consuetudines antiquas pronunciatas, debitæ executioni mancipari manu militari aliquando impediunt, quemadmodùm Varasdini ante duos circiter annos in certa causa contubernii Cehæ mercatorum factum exstitit, ubi executio legitimæ Sententiæ Judiciariæ per manum militarem Germanicam, ad Commissionem Inclyti Consilii Græcensis Bellici præpedita fuisset, certæque res mercimoniales in executionem sumptæ, ad repositam usque benignam Suæ Majestatis Sacratissimæ annuentiam & resolutionem coactivè consignatæ extitissent, quæ aliàs juxta Deliberationem Judiciariam, statim parti in Causa triumphanti communi Justitia id secum ferente debebant consignari. Civitas verò Segniensis omnibus quasi Libertatibus, immunitatibus, & prærogativis suis per Dominos Capitaneos loci illius, priores & modernos contra præclara sua Privilegia & Indulta, tàm per Divos quondam Hungariæ Reges, quàm etiam Suam Majestatem Sacratissimam benignè confirmata, spoliata sit, Oppida, terræ, prata, montes & Silvæ ab eadem ablata, Protocollon Civitatis vi abreptum, Jurisdictio Magistralis, & Judicatus ad Carlostadiense militare regimen translata, coram quo juri stare manu compelluntur. Cives in carceres conjiciuntur, birsagia ab eis extorquentur, verbo, quòd vix aliquid de Jurisdictione Civili, præter nomen ipsùm ampliùs retineat, quæ tamen sola in Dalmatia pro Sacra Corona Regni Hungariæ remanserit. Ad quæ singula & universa præcavenda, Status & Ordines pernecesso statuendum judicant, ut tales Domini Colonelli, Capitanei, Officiales, & milites cuncti, præsenti statuto, accedentibus etiam benignis Suæ Majestatis Sacratissimæ Decretis, Commissionibus seriò & strictè ab ejusmodi inferendis miseris Civibus injuriis prohibeantur, utque ablata jura possessionaria restituantur universa, & in futurum similia attentare neutiquam præsumant.

Inter Regnum & Provincias Vicinas liber quæstus quarumlibet rerum exerceatur, & arestationes pro alienis debitis non admittantur, decernendum judicant; bonorum quoque confiscatorum, prouti & Gravaminum ad futuram Diętam rejectorum, eandem rationem, quæ in Inclyto Regno Hungariæ habetur, esse cupiunt.

Et

Digitized by Google

Et hæc erant fidelium Statuum & Ordinum Regni Hungariæ, Partiumque Eidem annexarum Gravaminum puncta, quæ pro moderna temporis ratione, ex corpore Gravaminum suorum compendiata, Suæ Majestati Sacratissimæ humilimè præsentanda habuerunt, Iidem Status & Ordines eorundem, ex gratiâ Suæ Majestatis Sacratissimæ stante præsenti Diæta, complanationem, admissâ etiam ex parte Exulantium omnium præteritorum delictorum generali amnistiâ, & bonorum iis, qui ad fidelitatem debitam redierint, effectivæ restitutionis per omnes Comitatus fiendâ publicatione, tàm animorum in transversum actorum unionem quàm verò votis omnium pridem desideratam Patriæ tranquillitatem & domesticam pacem, quasi postliminiò non sine maxima Statuum & Ordinum consolatione reducendam fore.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis
Domini Domini Ipsorum Clementissimi

Humilimi ac perpetuò fideles Subditi
Universi Status & Ordines Regni Hungariæ, Partiumque Eidem annexarum, ad præsentem Generalem Regni Diætam convocati.

Sopronii Die 7. Septembris Anno 1681.

XXVIII.

Resolutio Suæ Majestatis Sacratissimæ, ad præexhibita Gravamina Statuum & Ordinum Incluti Regni Hungariæ sequitur in hunc modum.

SAcratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis nomine Universis Regni Hungariæ & Partium Ei annexarum Statibus ac Ordinibus, in Generali moderna eorundem Diæta congregatis & præsentibus significandum: Eandem Suam Sacratissimam Majestatem seriem Gravaminum Statuum & Ordinum, per Deputatos eorundem dictæ Suæ Majestati exhibitorum benignè intellexisse, ac eatenùs pro Paterno, quô erga Eosdem fideles suos Status & Ordines fertur affectu, sese etiam clementissimè resolvisse modo sequenti.

Et quidem in initio statim præfationis, sepositionem ad aliud tempus reliquorum Gravaminum per eosdem Status ac Ordines factam, Altè memorata Sua Majestas Sacratissima grato acceptavit animo, simulque Palatinalis authoritatis, ejusque condignæ manutenentiæ, intuitu libe-

batæ fidelitatis, ac honore dignissimorum meritorum, Domini Comitis Palatini singularem semper curam habebit. Cœterum quoad Locumtenentiam, salvos & integros desiderat Eadem Sua Majestas Sacratissima manere hâc de re Articulos, antiquumque usum & observantiam, ea semper ipsa Sua Majestas ulterius eatenùs actura, quæ ex re & utilitate Regni esse videbuntur, dignas pariter benignè reponendo Domino Archi Episcopo Strigoniensi laudes, cum turbulentis his temporibus, & potissimùm sub recenti diuturniori ejusdem Suæ Majestatis absentiâ in oneroso hoc ipso munere Locumtenentiæ fidelem simùl & utilem impenderit operam.

Ad Primum verò eorundem Gravaminum Punctum, benignè meminit Sua Majestas Sacratissima, principalioribus suis Consiliariis Hungaris & Regni Magnatibus Posonii, in ultima Diæta præsentibus remonstratum, communicatum, & perlectum fuisse, cõpositum novissimè cum Turcâ factæ pacificationis projectum, & Articulos eosdem post conclusionem cum Turcis factam Cancellariæ Suæ Regiæ Hungaricæ intimatos, neque porrò intermittet Eadem Cæsarea atque Regia Majestas, dato casu ejusmodi notificationes in solita confidentia ulteriùs continuare.

Non etiam ab hoc fore alienam, & penes ejusdem Residentem in Porta nativus Hungarus maneat, eidem Residenti, si opus foret, in rebus Hungaricis informationem necessariam daturus.

De cœtero, quoad loca, quæ ultrò sese deditioni Turcicæ subdunt, non solùm antiquas Conditiones & Articulos, pro deditione avertenda & præcavenda editos, esse confirmandos, sed etiam contra ejusmodi violentos & temerarios in detrimentum Regni vergentes ausus, alia efficacia remedia adhibenda: quænam autem media superindè statui & in effectum deduci possint, Sua Majestas Sacratissima à fidelibus suis Statibus ac Ordinibus informari cupit, simulque ab iisdem declarationem præstolatur, quanta & quali assistentia ac ope in eum finem sint collaboraturi.

Gratam, acceptamque habet Eadem Sua Majestas præfatorum Statuum ac Ordinum pro defensione Regni singularem curam & sollicitudinem, atque in eum finem oblatam Generalem insurrectionem, benigneque confidit, eosdem hac laudabili & salutari intentione, non solùm periculum futurum, sed etiam præsens respicere, atque insurrectionem non minùs ad internos, quàm externos hostes, bellum quoque offensivum & defensivum, adeoque contra quoscunque se extendere, casum etiam extremæ necessitatis Eidem Suæ Majestatis arbitrio relinquere:

Idcir-

Idcircò non fore contrarios, ut particula illa extremæ necessitatis omittatur: Articul is interea olim de Insurrectione conditis, absque novarum clausularum adjectione in suo antiquo tenore permanentibus.

Porrò, ut memorata Insurrectio, præcipuè particularis, vel in ejus locum aliud conveniens medium, cum majore emolumento & minore Regni incommoditate in effectum deduci queat; judicaret perbenignè Sua Majestas proficuum fore, ut ab iisdem fidelibus suis Statibus ac Ordinibus certi deputati nominentur, qui quamprimùm fieri poterit, cum ejusdem Consilio Aulæ-Bellico superindè de modo & norma conferant, quatenùs omnia mutuis Consiliis eò meliùs pro utilitate Regni disponantur.

Ad Secundum: Non sine magna displicentia etiam intellexit Sua Majestas Sacratissima insolentias & enormes excessus militares, neglectamque disciplinæ observantiam, tot seriis mandatis injunctam, & publicatam, neque intermissura est, modum statuere, ut posthac transgressores comperti, cujuscunque demum fuerint nationis, debitâ afficiantur pœnâ, & imposterum ab ejusmodi exorbitantiis coërceantur.

Ingratum quoque accidit & id Suæ Majestati, quòd moderna Regni constitutio hucusque non permiserit militiæ campestris eductionem, neque posthac ejusdem Inductionem absque urgente Regni necessitate ordinabit, sicuti hisce temporibus fieri debuit, non attentis sumptibus tam immensis cum aliarum Provinciarum suarum dispendio. Consideret tamen benignè Eadem Cæsarea atque Regia Majestas, Status & Ordines ipsos haud fore alienos, quin etiam ex proprio, congruis & sufficientibus mediis, prouti obligatio erga Regem & Patriam, ad Regni & sui conservationem, in eventum necessitatis, requirit, sint assistentiam præbituri, & in eum finem certam protinùs facturi dispositionem.

Quòd verò iidem Status & Ordines desiderent, militem campestrem per Regnum, versus Confinia Turcica distribuere, existimatur ipsosmet Status, omnesque rei militaris gnaros haud latere, ejusmodi dispositiones non à libitu, sed hostis actionibus, & ratione belli dependere, atque secundùm easdem dirigi debere.

Cœterùm Sua Majestas benignè curabit, ne authoritati Palatinali contra usum & observantiam hucusque semper continuatam derogetur, sed inter suum Consilium bellicum, & Dominum Palatinum bona correspondentia observetur.

Quoad insolentias militares, postquam inter cœteras vectigalium quoque extorsiones dudùm à Suâ Majestate militiæ essent prohibitæ, fiet exacta inquisitio in contraventores, reique comperti, pro delicti qua-

litate puniantur. Interim verò Commendantibus locorum, ab iisdem Statibus specificatorum, seriò demandabitur, ut sub gravi pœnâ à mentionatis exactionibus abstineant.

Ad Tertium. Si qui in reatu adhuc existentes intra certum tempus, duorum ad summum mensium, resipuerint, & ad debitam obedientiam redierint, innatam Ejusdem Suæ Majestatis benignitatem actualiter experturi sunt, prouti & Comes Georgius Illyeshazy, ubi ipsemet errorem suum & delicta agnovisset, ad ejusdem & ipsorum Statuum ac Ordinum preces, ab aresto ex innata Suæ Majestatis clementia demissus est.

Ex Articulis porrò in hocce Gravamine citatis, non posse evinci, Eadem Sua Majestas Sacratissima manifestè videret, quòd notoriè crimen læsæ Majestatis contra personam Regis & Statuum Regni committentium hæredibus, portio bonorum relinquenda sit.

Quantum ad annexas huic Gravamini Sabariensium, & Meszleniensium querelas attinet, Sua Majestas Sacratissima benignè resolvit, ut eædem per singularem Commissionem aut Compromissum, quantum fieri poterit, sub præsenti Diæta instituendum complanentur, & negotio sub Diæta minùs succedente, post Diætam, primo quovis tempore, per Dominum Archi-Episcopum Strigoniensem, cum Domino Comite Palatino pari numero videlicet, tot ex Ecclesiastico, quot ex seculari statu Judicibus adhibitis revideantur, finaliter decidantur.

Quod verò concernit Gravamen contra Officiales Dominii Ovariensis, Sacratissima Sua Majestas post distinctam, quam desuper expectat informationem clementissimè providebit, ne quidpiam fiat & attentetur, quod Articulis & Legibus Regni sit contrarium. Quæ pariter quoad Suditos Dominorum Comitum Bottyany Oerseghienses se clementissimè declarat, quod Camerâ Hungaricâ, & prædictis subditis auditis, illud perbenignè decretum est, quod Justitia requirit, & Legibus ac Articulis Regni conforme fuerit.

Ad Quartum. Sua Majestas Sacratissima supervacaneum censet, graves illas & urgentissimas repetere rationes, quæ eandem occasione & ab initio præscitorum motuum intestinorum, pro conservatione Regni, avertendoque majori malo ad militem copiosum introducendum, & exigendam hanc Repartitionem impulerint, cujus ulterior impositio, quia ad humillimam eorundem Statuum ac Ordinum instantiam imposterum sublata esset, clementissimè consideret altè prætitulata Sua Majestas Sacratissima, quòd hoc periculoso moderno rerum statu, pro communi Patriæ defensione, competenti quodam subsidio in paratis vel in natura pendendo, dictantibus idipsum istius Regni Legibus, cum fide-

lissimo

Digitized by Google

lissimo animorum suorum obsequio, haud dubiè sint concursuri, proque commeatu, & annona militiæ pro Regni salute excubantis, & Præsidiorum necessaria provisione, proportionalem cum Generalatu & Administratione Cassoviensi frumenti, siliginis, Avenæ, aliorumque victualium Limitationem in publicum bonum posthac etiam inituri.

Ad Quintum. Confiniis, quæ conservare, præsidiisque munire pro Regni defensione & securitate necesse fuerit, Sua Majestas Sacratissima justo Confiniariorum numero benignè providebit.

Quænam verò loca, & quibus mediis erunt restauranda, Cameraliter & militariter cum eorundem Statuum & Ordinum Deputatis quantocyùs post Diætam Sua Majestas deliberari, sibique pro resolutione proponi faciet, sperando tamen ipsos Status & Ordines non minùs consideraturos, quàm onerosum eidem Suæ Majestati foret, si Cameræ soli, absque notabili subsidio Regni, expensas tàm graves erogare incumberet.

De cætero Suæ Majestati curæ futurum, Sacrum quoque Romanum Imperium, pro simili subsidio tempore opportuno, secundùm eorundem Statuum ac Ordinum desiderium clementer requirere.

Et quamvis mediæ Tricesimæ proventus benignè Suæ Majestatis Sacratissimæ dispositioni cessissent, ac una Confiniaria solutio eandem plùs quàm Septies excedat, reliquum aliis Provinciis & Regnis hæreditariis solventibus, nihilominùs ad ulteriorem Statuum & Ordinum instantiam omninò demandabit clementissimè Sua Majestas, ut rationes tàm superindè, quàm de gratuitis laboribus, & mentionato militari subsidio (cujus etiam restantiæ exigendæ venirent) per Cameram Hungaricam, congruis modis & locis, post finalem hanc Diætam indilatè reddantur, & qui se perceptioni proventuum ejusmodi Regiorum quomodolibet immiserunt, strictas etiam desuper reddere teneantur rationes; Restantiis fors eruendis, in usum Confiniorum applicandis.

An verò & quæ nova Fortalitia, loco Confiniorum à Turcis occupatorum sint erigenda, hoc negotium in conferentia supramentionata, cum Consilio Aulæ Bellico celebranda, complanari poterit; Interim distributione gratuitorum laborum à Statibus dictata in suo vigore permanente.

Ad Gravamen excessuum nativorum militum quod attinet, Sua Majestas similes exorbitantias à quacunque natione comissas absque discrimine puniri faciet, & cæteri, prævia tamen Inquisitione, per ejusdem Consilium Bellicum instituenda.

In reliquo dignum & æquum videtur Suæ Majestati Sacratissimæ,

Digitized by Google

ut successores Rakocziany querelarum adversus eosdem in ultimo puncto contentarum, prævie & ante condendum eatenus desideratum Articulum, cursu Justitiæ naturalique æquitate sic requirente, audiantur; cum & alioquin etiam hocce negotium, utpotè privatum, ad futuram Diætam remittendum esset.

Ad Sextum. Siquidem Augustanæ & Helveticæ Religioni addicti cum Catholicis nullam amicabilem compositionem inivere, Sua Majestas Sacratissima hac in re, juxta benignam suam oblationem, convenienter sese, stante adhuc præsenti Diætâ, determinabit.

Ad Septimum. Circa correspondentiam Hungaricæ Cameræ cum Aulica ritè vicissim observandam, clementer confirmat Sua Majestas Sacratissima Articulos hac in parte conditos perbenignè ordinaturam, ut omnes in contrarium abusivæ usurpationes ab utrinque tollantur. Quod verò personam Præsidis tanquam Ecclesiasticam concerneret, cùm præter contradictionem Cleri & hoc accedat, quod usus antiquus simul & observantia edoceant, Personas Ecclesiasticas ab Hungaricæ Cameræ Præfecturâ non arcendas; & alioquin æquè istius, ac aliorum officiorum Cameraticorum collatio, tàm in his inferioribus, quàm Superioribus Regni Hungariæ Partibus, pro rerum exigentia facta sit, atque immediatè ad Regem spectet; hinc pro nunc modum non videri, cur eatenus aliud disponendum. Posthac autem & in eventu vacantiæ, id ordinatura est Sua Majestas Sacratissima, quò nulla Statibus & Ordinibus Regni justa desuper querulandi ansa præbeatur, prouti etiam clementissimè demandasset, ut ad exemplum in Aulica Camera non ita pridem introductum, quoad officiorum minus necessariorum abolitionem, & sumptuum in Camerâ Hungaricâ restrictionem debita Cura adhibeatur.

Justum prætereà censet Sua Majestas Sacratissima, ut restitutiones bonorum Cæsareis suis Regiisque resolutionibus fulcitæ, debitæ tamen executioni nondum mandatæ, in quantum nempè talia bona, penes Cameram adhuc existunt, actualiter effectuentur. Jam quoque porrò decretum esset, ut qui bona quæcunque mobilia pro lubitu suo distraxisse, vel quovis modo cum damno tertii, sibi quicquam appropriasse ex illis perhibentur, si desuper auditi convictique fuerint, absque respectu severè puniantur.

Denique ratione Magistratuum Civilium restaurationis, cum ex parte Camerarum Hungaricarum asseratur, easdem se secundùm Articulos & Constitutiones Regni solito more & tempore peregisse; propterea Sua Majestas Sacratissima in eo tam diu acquiesceret, donec in contrarium in specie comprobatum fuerit. Eo verò probato, omninò cle-

mentur

meriter demandatura est, ut in futurum in hoc quoque conditæ Leges observentur, nec hac in parte Civitatibus Regiis, tanquam proprio Peculio Regio, quicquam damni vel præjudicii inferatur.

Curatura est etiam Sua Majestas Sacratissima, quod Fiscus suus Regius in Causis dubiis & altioris indaginis causæ cognitionem sufficientem admittat, & auditis partibus id statuatur, quod Juri & æquitati consonum esse videbitur.

Quantum ad querelas contra Tricesimatores & Decimatores fusè repræsentatas attinet, consentit Sua Majestas, ut excessus illorum, ipsis etiam auditis, compertâ rei veritate, rigorosè puniantur. Judicatus autem Cameræ in negotiis contrabandorum, aliorumque negotiorum quæstum concernentium, controversiarumque inter quæstores ex quæstu emergentium decisio, more ab antiquo practicari solito secundùm Leges imperturbatè relinquatur. Telonia sicca tollantur, & Judæi juxta priores Constitutiones à Telonis amoveantur, finitâque Diætâ, similibus excessibus, modo Articulariter præscripto, cum interventu etiam Hungaricæ Cameræ adæquatum adhibebitur remedium.

Nec abnuit Sua Majestas Cæsarea & Regia, ut quibus confiscata eorundem bona restituentur, literalia quoque instrumenta, similia bona tangentia, simul reassignentur, modò & illi, quibus similia instrumenta sunt restituenda, prius præstanda præstiterint.

Et cum circa reliqua Puncta sufficientes essent Articuli ac Statuta, proindè eadem impostèrum accuratiùs & strictius observentur.

Assentit Clementissimè Sua Majestas Sacratissima Inclytorum Statuum & Ordinum eatenùs instantiæ & petitioni, simulque quamprimùm ordinatura est, ut obsides Civitatis Nagybanyiensis, si qui fors in præsentiarum Szatthmarini detinerentur, illicò liberè dimittantur, Libereque Civitates super excessus contra easdem allegatos fideliter audiantur: Annorum verò præteritorum Articuli, quoad Nobiles in prærogativis suis non turbandos, sicuti & reciprocè à Nobilibus aliisque Civitates in suis Privilegiis & Juribus non aggravandas, aut impediendas exactè observentur.

Nec non supremus Montanarum Præfectus Johannes Andreas Fichter, in suo Viennam ascensu & descensu, sive reditu, ab omnibus molestationibus & damnificatione miseræ plebis, per se suosque sub gravi pœnâ abstineat.

Ad Octavum. Sua Cæsarea Regiàque Majestas inter cætera Gravamina non minùs sub numero hoc Octavo fusiùs intellexit, quibus de Causis Dominii Ordines & Status hujus Inclyti Regni, quoad controversias memo-

memoratarum in Provincias Suæ Majestatis Sacratissimæ hæreditarias, & nominatim quidem Marchionatum suum hæreditarium Moraviæ, Ducatumque Superioris Silesiæ hactenus vertentes, semet gravatos fuisse existimēt, qualiterve mediantibus Commissariis, utrinque ordinandis, rectificationem earundem quantocyùs fieri terminarique desiderent: Cum itaque Sua Majestas Sacratissima nihil aliud intendat, quàm ut tùm Regnum hoc Hungariæ, quàm etiam superius mentionatæ Provinciæ hæreditariæ in suis legitimis finibus, metisque conserventur, & querelæ utrinque hactenùs adductæ & deductæ, ritè examinentur, ac juxta æquitatis justitiæque normam vel amicè componantur, vel per sententiam Juridicè determinentur.

Eapropter Sua Majestas annuit, ut Commissio ab Eadem (prout apud Cancellariam Regio-Aulicam Hungaricam vestigia exstabunt) jam Anno 1677. Die 15. Martii ordinata, quamprimùm reassumatur: deputatura est pariter ex parte Moraviæ & Silesiæ Commissarios, ubi respectivè à Regio Tribunali Supremaque Curia, quoad electionem subjectorum debita informatio, proximè petenda adv enerit; Utque Domini Ordines & Status enucleatiùs videre valeant, Sua Majestas Sacratissima maturationem hujus Commissionis omninò desiderat, serioque injungere intendit Suis Commissariis, ut debito tempore, quod utriusque partis consensu determinabitur, infallibiliter compareant, ita quidem, ut si emanserint, nihilominus in Causa ad finem usque procedatur, non dubitantes, Commissariis ex parte Regni denominatis idem demandatum iri. Inhibitis interea omnibus ulterioribus attentatis, prout ex parte Moraviæ & Silesiæ pariter factum est, & denuò demandabitur.

Controversias, quæ hinc inde ratione Civitatis Fürstenfeldensis habeantur, partim tractatione sopitas, partim resolutione Cæsarea terminatas quidem esse: quod si verò Domini Status ratione metarum & confinium se gravatos crederent, posse desuper inter Commissarios utrinque ratione metarum deputandos modo solito tractari.

Instantiam factura est Sua Majestas Sacratissima per suum in Aula Polonica Residentem, ut à parte quoque illius Regni ad rectificationem metarum deputentur Commissarii, & contra finitimos hujus Regni Incolas, à molestiis inferendis, abstineatur.

Acceptat porrò Sua Majestas Sacratissima Domini Archi-Episcopi Colocensis liberalem oblationem, Arcem Lublyo & Tredecim Oppida ære suo redimendi, eumque in finem promptè collaborabit. Et quoniam in rectificatione metarum à parte Regni sunt denominati Commissarii, ideò Sua Majestas Sacratissima ex parte etiam Austriæ, cum & indè gra-

ves

ves contra Regnum fiant querelæ, quosdam deputatura est Commissarios, qui utrinque amicabili compositione à Suâ Majestate ratihabenda, controversiam hinc indè determinare studeant.

Et quia petitio Statuum ac Ordinum, ratione illimitatæ inductionis vinorum in Austriam, ejusdemque Provinciæ Statibus pro informatione & declaratione jam esset communicata; interea confirmat Sua Majestas Sacratissima licentiam antehac certis Civitatibus & Locis hujus Regni in eo specialiter interessatis eandem quantitatem & summam vinorum evehendi eo modo, quo proximè preteritis Annis observatum est.

Si Status & Ordines nominati, in quo per Orientalem Societatem sivè Companiam graventur, ostenderint: non intermissura est Sua Majestas congruum remedium ordinare.

Ad Nonum. In conferendis Officiis secularibus & beneficiis Ecclesiasticis observatura est Sua Majestas Articulos hac super re conditos, in quantum longævo usui & observantiæ non repugnant: Et quia Residentia Generalis commodè in Arce Nytriensi fieri non potest, providebit Consilium Bellicum, cum Domino Palatino, quem potissimum in locum ea sit ponenda.

Ad Decimum. Sacratissimæ Suæ Majestati nihil magis cordi & curæ est, quàm ut æquabilis & expedita justitia sine respectû personarum in Regno administretur, idque ut per Suam Cancellariam Hungaricam observetur, præsertim verò ne Mandata Inhibitoria citra justam Causam expediantur, seriò demandatum est, speraretque insuper, quod idem Dominus Palatinus, & cœteri Ordinarii Judices sedulò curaturi sint: quia verò Sua Majestas intelligit, multa hactenùs observata justitiæ promovendæ minimè congruere: Ideò Statibus & Ordinibus cogitandum relinqueret, annon recens Judicialis ordinatio temporibus hisce conformis per certos deputatos Commissarios continuanda, & Suæ Majestati pro Regiâ ratihabitione porrigenda esset.

Ad Undecimum. Sua Majestas Cæsarea & Regia terminatâ feliciter hâc Diętâ non deerit, quamprimùm aliorum Gravaminum negotiorum momenta hoc admittent, novam Dietam indicere, & quidem Posonii celebrandam: nisi Regni securitas, aliaque fortè emergentia contrarium suadeant.

Ad Gravamina Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ.

INtellexit perbenignè Sua Majestas Cæsarea Sacratissima, quòd Regnorũ suorum Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæque Status & Ordines restabili-

tum Banatu, illius Officium eô, quô par est, gratitudinis obsequio demissè recognoverint; eorundem Regnorum salutem & publicam tranquillitatem magis firmandam, sibi posthac quoque singulari semper curæ futuram esse clementer declarat.

Quoad numerum verò Militiæ Banalis augendum, ulteriorem ab iisdem, prout & Hungariæ Statibus, circa modum insurrectionis præstolabitur Sua Majestas declarationem; ordinatura est tamen debitis in locis, ut subministrationi desiderati pulveris tormentarii, similiumque requisitorum pro exigentia necessitatis provideatur.

Quod verò attinet ad reductionem Valachorum, nec non illa singula, quæ in Articulo 31. in Diæta 1649. & Articulo 89. Anni 1659. comprehensa sunt, cum Commissio inibi conclusa suum effectum non fuisset assecuta, nec controversiæ illæ amicabiliter compositæ; Idcircò consentit & Sua Majestas clementissimè, ut ex utraque parte, tàm Croatiæ & Sclavoniæ, quàm Styriç deputentur Commissarii, quorum determinationi aut compositioni tota hæc controversia committatur.

Si etiam constiterit Valachica Privilegia, in Regnicolarum præjudicium, contra cassationem jam antea in Regni Diætis factam renovata esse, curatura est Sua Majestas, ne dicta renovatio Dominis Regnorum Statibus & Incolis dispendium afferat, sed omnia præjudiciosa, si quę contra juris tramitem concessa forent, aboleantur.

Quod verò concernit, ut Valachi detrectantes solvere Decimas, nec non alia onera Subditis & Incolis incumbentia, æqualiter aliis sufferant, informari se faciet Sua Majestas, quid hucusque observatum & usu receptum fuerit, neque permittet, ut in Regni præjudicium ab antiquâ consuetudine & observantiâ recedatur.

Sed & denuò offert Sua Cæsarea Regiaque Majestas debita remedia, ut delinquentes Valachi ob commissa scelera & debita, prout Juris est, castigentur, & in futurum sub gravissimis pœnis quicunque excessus inhibeantur; Commissioque quoad translationem dictorum Valachorum, an & quomodo illam fieri expediat, auditis quorum interest, reassumatur.

Consentit Sua Majestas Sacratissima, ne fugitivi Subditi, in præjudicium Dominorum Terrestrium ab aliis recipiantur, foveantur, aut manuteneantur, & contra transgressores, pro qualitate delicti ac circumstantiarum, pœnâ condignâ procedatur.

Quoniam autem apud Eandem Suam Majestatem Dominus Episcopus Zagrabiensis, nec non Capitulum ejusdem Ecclesiæ, per humillimas preces, pro restauratione dicti Castri Sziszek institerit, & jam petita

informatio transmissa ad ejusdem manus devenerit; curatura itaque est, ut proximè supramemoratis precibus talis sequatur resolutio, quæ Ejusdem Suæ Majestatis benignissimum affectum erga memoratum Dominum Episcopum, Capitulumque ejusdem (præcipuè cum id ipsum hoc munimentum reædificare & proprio præsidio illud providere offerat) abundè demonstret.

Renovandus Articulus 119. Anni 1647. ratione Decimarum de Methlin.

De pulsione bonum repetit Clementissimam Sua Majestas Sacratissima declarationem, Dominis Statibus An. 1659. desuper significatam, ut scilicet salvi maneant Articuli in hoc negotio in prioribus Comitiis editi & promulgati.

Cùm hucusque Sua Majestas Cæsarea & Regia, nec non ejus Antecessores piissimæ memoriæ, pro libitu officia Generalatuum benè meritis contulerint, & sæpius non solum exteros, sed & Regnicolas promoverint, Idem imposterum prouti Regni utilitas & circumstantiarum ratio postulabit, benignissimè est observatura.

Nulla denique mens esset Sacratissimæ Suæ Majestati prænotata bona Fiscalia maritima & Croatica cuiquam Extero, vel arendationis, aut alio quopiam titulo pro se Possidenda concedere: collaborandum tamen esse, ut præscitæ controversiæ metales inter Regna Croatiæ & Sclavoniæ, Provinciasque Styriæ & Carnioliæ adhuc vigentes, secundùm emanatas eatenùs benignas suas resolutiones Regias, Articulosque Regni, statim finitâ modernâ Diætâ tandem ex æquo complanentur & sopiantur.

Refert se dicta Cæsarea & Regia Majestas, ratione Mandatorum illegitimorum, ad superiorem numerum Decimum.

Bona Zriniana & Frangepaniana Fiscalia quod attinet, Sua Majestas Sacratissima de iis, velut ad Sacram hujus Regni Coronam, consequenterque collationem Suam Regiam ex Lege devolutis, salvis Juribus & Jurisdictione Regni, jam disposuit, nec ullum exindè Statibus præjudicium esset oborturum.

Non repugnat Sua Majestas Cæsarea ac Regia, ut si Status & Ordines tam Croatici & Sclavonici, quàm Styriaci se contra ea, quæ per Dominos Commissarios Anni 1678. peracta sunt, gravatos putaverint, ea denuò per Dominos Commissarios generaliter in materia metarum deputatos, discutiantur, & super omnibus ab utraque parte proponendis id, quod æquum est, statuatur.

Remittitur pariter Dominis Commissariis pro rectificatione metarum,

Digitized by Google

tarum, vel deputatis, vel deputandis omne illud, quod ratione possessionis Grobnik & Gerovo, universisque terris ad Regni coronam prætensis, in gravamine desuper exposito memoratur.

Repetitur iteratò Clementissima Cæsarea resolutio, militiæ Cæsareæ abductionem ex Arce Varasdiensi concernens, quæ Dominis Statibus, & Regnicolis Anno 1659. Articulo 12. concessa fuit.

Curabit præterea Sua Majestas Sacratissima Mandata ita expediri, ut stetur Articulis in prioribus Diætis super fœnilibus conclusis, ne Dominis Statibus aut Regnicolis contra Juris Ordinem præjudicium inferatur.

Seriò inhibendas esse decrevit Sua Majestas Sacratissima, omnes & injurias, & violentias, tàm militiæ nativæ, quàm Germanicæ, omnes excessus pariter, qui hinc & inde contra Regnicolas Croatiæ & Sclavoniæ, nec non Status & Subditos Styriæ patrari fuere; Et in transgressores severissimè animadvertendum, repetendo desuper, quæ hac in re Articulis 1659. & 1622. propter Incolas dictæ terræ Stiriacæ Dominis Statibus & Regnicolis memorati Croatiæ & Sclavoniæ, à Suâ Cæsarea & Regiâ Majestate sunt intimata: annuit Sua Majestas, ut Articulus 4. Anni 1649. super mediæ Tricesimæ auctione, pro milite Colapiano maneat.

Gratificandum porrò benignissimè duxit toties fata Sua Majestas Sacratissima Statibus & Ordinibus Inclytorum Regnorum Croatiæ, Dalmatiæ & Sclavoniæ, ut Magister Protonotarius præfatorum Regnorum, etiam in Tabula Regia, Judiciis Octavalibus, Ordinariis & Extraordinariis, ac Brevibus, etiam locum, votum, & diarium ad instar aliorum Protonotariorum habeat: Præterea non omittet Sua Majestas Sacratissima, ut ab ejus Officialibus, Colonellis & Militia Germanica Domini Status & Ordines Regni Croatiæ ac Sclavoniæ, speciatim autem Szegniensis in suis turbentur Juribus ac Privilegiis, sed omnes injurias & violentias, uti jam antea expositum, non solùm inhiberi, sed & transgressores severè puniri curabit.

Quod verò ad Controversiam, ratione cujus pro parte Civitatis Varasdiensis conqueruntur, attinet, cùm jam altissimè memorata Sua Majestas ad querelas utriusque partis se eò resolverit, ut à Cancellariâ Suâ Hungaricâ & Aulico-Austriacâ hæc res discutiatur, ac prout Juris est, determinetur, indè Suæ clementissimæ resolutioni inhæret.

Fore liberum quæstum inter Regnum & Provincias Interioris Austriæ, prouti hactenùs solitum, & arestationes pro alienis debitis citra Juris tramitem non admittentur.

Ratione bonorum Confiscatorum & Gravaminum in futuram Diætam rejectorum, eadem assumuntur, quæ Dominis Statibus & Ordinibus Regni Hungariæ supra jam sunt responsi loco apposita.

De iis verò, quæ Status & Ordines in Epilogo intermiscuerunt ratione amnistiæ & restitutionis Exulantium, Sacratissima Sua Majestas se refert ad numerum Tertium, ubi hæc materia fusius tractata fuerit.

Cum itaque hæc fuissent, quæ ad exhibita puncta Gravaminum juxta possibilitatem convenienti satisfactione resoluta benignissimè videbantur Suæ Majestati Sacratissimæ; ideò Paternè hortatur Eosdem Universos Status & Ordines, quatenùs hanc Cæsaream & Regiam erga Eosdem propensionem demissè acceptare, eidemque se obsequiosissimè accommodare, neque tempus inanibus replicis in longum protrahere velint, quin postpositis quibusvis aliis, Diætam hanc feliciter quantocyùs concludere adlaborent. In reliquo permanet jugiter Eadem Sua Majestas Sacratissima Jisdem Statibus ac Ordinibus Gratiâ Suâ Cæsareâ ac Regiâ benignè propensa.

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem Sopronii Die 27. Mensis Septembris Anno Domini 1681.

Johannes Maholany.

XXIX.

Demissa Replica Universorum Dominorum Prælatorum, Magnatum & Nobilium, cœterorumque Statuum & Ordinum Regni Hungariæ, reliquorumque eidem annexorum, ad benignam Suæ Majestatis Sacratissimæ Resolutionem, circa nonnulla ipsorum Gravamina, factam, Sopronii in Generali Regni Diæta Die 25. Octobris Anno 1681. humillimè repræsentata.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine Clementissime.

Qualiter, quâvè Regii animi benignitate, Majestas Vestra Sacratissima, ad nonnulla fidelium suorum Statuum & Ordinum Regni Gravamina, nuper dierum sibi humillimè per eosdem præsentata, sese resolvere dignata sit, Iidem fideles Status & Ordines, ex clementi Ejusdem

dem per Cancellariam Hungaricam Aulicam, nomine Majestatis Vestræ Sacratissimæ extradirâ resolutione, demissè intellexerunt.

Optassent equidem Iidem fideles Status & Ordines, si sine ulteriori pretiosi temporis jacturâ, respectu etiam indies ingravescentium in Superiori Hungaria, Principis Transylvaniæ, ejusdemque sequacium, hostilitatum, benignæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutioni, pro debito fidelitatis suæ acquiescere potuissent.

Quia tamen quædam ejusdem Resolutionis Puncta, magis in labefactationem Jurium & Libertatum Regni, quàm in aliquam eorundem fidelium Statuum & Ordinum alleviationem etiam ipsorum aliquibus magis aggravari, quàm alleviari persentiscerent.

Ideò iidem Status & Ordines se nihil dignitati Regiæ inconveniens facturos arbitrantur, si ulteriùs etiam benigno Diplomati Regio, Legibusque Regni in attactis Gravaminibus suis citatis inhærendo, cum submissa eorundem Gravaminum suorum recapitulatione, penes præsentem demissam suam instantiam, benigniorem Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ Resolutionem de humili genu præstolarentur.

Et quidem Primò: Authoritatem Palatinalem, non tantùm ex privato aliquo, privatorumque hominum dignissimorum meritorum erga Principem personam moderni Domini Palatini respectu, verùm ipsius Officii & Dignitatis Palatinalis intuitu, juxta Conditionem Septimam Diplomatis Regii Legesque Regni, in Gravamine superindè citatas, simpliciter & de plano observandam postularent.

De sublatione Gubernii, & prioris Locumtenentiæ, hactenùs per Illustrissimum & Reverendissimum Dominum Archi-Episcopum Strigoniensem administratæ abrogationem, cum in benigna Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutione nulla expressa fieret mentio. Ideò eatenùs etiam suæ demissæ instantiæ satisfieri, & ambo illa officia, veluti Legibus Regni, & Authoritati Palatinali præjudiciosa, cum titulorum eorundem abolitione, & sigillorum etiam eisdem deservientium destructione, & expeditionum quoque, si quæ à tempore creationis Palatini emanatæ fuissent, annihilatione, simpliciter abroganda cupiunt.

Quoad Locumtenentiam verò, in casu mortis Palatini non introducendam, Articulo 3. Anni 1608. ante Coronationem edito, & Diplomate Regio confirmato, hoc loci confirmando, & imposterùm strictissimè observando, iteratò inhærent. Cùm prætensus etiam à nonnullis, pro simili Locumtenentia usus, ante conditum præscriptum Articulum, per injuriam temporis cum præjudicio Legum introductus, per eundem ipsum Articulum (nullâ post illum conditum, præter modernam cessantem

intro-

Digitized by Google

introductâ Locumtenentiâ) unà cum antiquis Legibus superindè conditis, omninò sublatus esse dignosceretur.

Ad Primum autem benignæ resolutionis *Punctum* quod attinet; Projectum Pacis Turcicæ aliàs in Anno 1664. post bellum Turcicum initæ, cum aliquibus Magnatibus, & Cancellaria Hungarica in Anno 1662. communicatum, non impugnant Status & Ordines: ipsam tamen pacem, sine consilio Hungarico, & absque scitu ipsius etiam defuncti Palatini (uti protestatio Ejusdem superindè authenticè celebrata, & in Archivo Regni exstans palàm edoceret) conclusam, nunquam cum Regnicolis debito modo communicatam & publicatam fuisse clarum evaderet. Undè siquidem prætextu ejusdem pacis Regnicolæ multas Turcicas persecutiones, respectu etiam Subditorum Tributariorum actu paterentur, non immeritò, stante præsenti Diætâ, actualiter illius secum fiendam communicationem pro ulteriori sui directione, est suerũ conservatione, cum Turcicorum excessuũ in Gravamine descriptorum efficaci remedio, per Ablegationem quamprimùm ad Portam, vel Budensem Vezirium instituendã adhibendo, postulat, atq; ut à modo imposterùm ineunda Pax, & negotia Hungarica, non tantùm, ut in solita confidentia Cancellariç Hungaricæ Aulicæ notificentur, verùm omnia cum scitu & consilio Hungarico, consensuque Regni juxta Articulum 2. 1608. ante Coronationem, & Conditionem 13. Diplomatis Regii, realiter tractentur & concludantur, atque cum Regnicolis, debitô modô & in tempore communicentur, ac per Comitatus solenniter publicentur: Secùs verò tractata & conclusa pro nullis habeantur, dignum censent.

Similiter, ut à Residente Hungarico, Residenti Cæsareo in Porta æquali authoritate, & instructione quoad negotia Regni, juxta Articulum 50. Anni 1655. adjungendo, non tantùm informatio in rebus Hungaricis capiatur, sed etiam omnium negotiorum Hungaricorum realis communicatio habeatur, ita ut sine illo Residens Cæsareus Regius nil tractare, tantò minùs aliquid in rebus Hungaricis concludere, sub nullitate talis tractatûs & conclusionis possit. Eadem esset ratio de ablegationibus ad Portam in negotiis Regni instituendis.

Quoad loca spontè & ultrò Turcis sese subjicientia, omninò Articulos superindè conditos, uti sunt 107. Anni 1555. & 12. 1575. confirmandos: ubi tamen ferro & igne cum abductione multarum animarum (uti recenter etiam ad Confinia Styriæ, ac in superiori Hungaria Kisvardæ, alibique hinc indè passim per Regnum factum esset) Locorum Incolæ, aliàs omni defensa destituti, sese subdere cogerentur, Status & Ordines non vident, quomodò tales alicujus temeritatis argui, vel alicui pœnæ sub-

subjici possint, cum id illos hac temporum infelicitate non sponte, sed coacte fecisse palàm esset.

Media verò, quibus ulteriores deditiones caveri, Turcaque ab Excursionibus & Locorum subjugationibus inhiberi, atque sub hâc pace Tributaria facta loca, à jugo tributi eliberari possint, aliâ, præter bonam Confiniorum nativo milite, quo majori potest numero, modalitate in Puncto Quinto Gravaminum denotatâ, ad quod se hoc loci referrent, introducendo, & benè accommodando, provisionem, sine tamen præjudicio Jurium & jactura proventuum Dominorum Terrestrium, magis proficua, non viderent: cum clarum esset, omnes ferè horum temporum subjugationes, post exauthorationem militis nativi, subsecutas esse.

Oblata personalis insurrectio, ulteriùs etiam, servatis juxta Leges in Gravamine citatas servandis, in casu summę necessitatis, per Consilium similiter Hungaricum cognoscendæ aperti Belli tempore, contra naturalem hostem, ubi videlicet aliquod Præsidium per eundem obsideri contingeret, vel verò justi Exercitus specie, Regnum hostiliter invadendo devastaret, aut Sua Majestas Sacratissima ad recipiendum Principale aliquod Fortalitium Regni, per Turcas occupatum, cum exercitu procederet, sedatis præprimis intestinis modernis motibus, Regnique Statu in pristinam suam libertatem & unionem redactô, pro futuro obsequentissimè offertur. Pro præsentiarum enim hoc rerum statu exhaustis undiquaque, cùm aliàs, sed vel maximè à Decennio Regnicolis, ac miserâ etiam plebe his annorum revolutionibus majori ex parte partim contagione pestiferâ extinctâ, partim verò ob nimium militiæ condescendentis rigorem, derelictis habitationum locis dispersâ, ex causis etiam & rationibus in Articulo 10. Anni 1601. expressis, Regnicolis vix alicui Bello supportando, se sufficere agnoscerent.

Pro particulari insurrectione verò, similiter in casu necessitatis, cum consilio Hungarico cognoscendæ, servatisque de Lege & Consuetudine Regni servandis, ac oneribus etiam aliis, quibus Regnicolę hac rerum infelicitate in dies ferè premerentur, sublatis juxta Articulum 65. Anni 1609. se declarant.

Verùm, ut loco illius pro alio medio adinveniendo, certos de medio sui Deputatos Regnicolæ denominent, id cum præjudicio Jurium & Libertatum suarum facere non possunt. Tales enim & his similes Tractatus, in Publicâ Regni Diætâ, ab antiquo semper per ipsos Regnicolas, aliundè etiam plerosq; illorum Principalium suorum Instructionibus circumscriptos, & neque ad similes deputandorum deno-

denominationes facultatem habentes, unitis consiliis & votis tractari, & in quantum fieri potest, articulariter concludi solerent.

Ad Secundum. Circà tollendos militum Extraneorum excessus, verum quidem est, iteratas benignas Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutiones clementer elargitas fuisse, quia tamen eædem optato suo effectu hactenus caruissent, taliterq; miles indies insolentior, majorem ad omnia ferè pro lubitu patranda sibi licentiâ sumpsisset, Regnicolæ planè modum non vident, quò ulteriùs sub his tàm enormibus militum excessibus, & nimiis sui oppressionibus subsistere possint, demissè iteratò supplicantes, quatenus Majestas Vestra Sacratissima efficacius in præmissis remedium adhibere, delinquentesq; pro demerito, in exemplum aliorum, severè puniri facere, ac in ipsos etiam Officiales interessatos, juxtà Articulum 5. Anni 1559. hoc loci confirmandum, & omninò effectuandum, cum satisfactione damnificatis dandâ, seriò animadvertere dignetur.

Quàm verò injuriosa, & Legibus Regni, Diplomatiq; Regio, quàm sit præjudiciosa, ac ipsis etiam Patriæ Civibus promiscuè hactenus semper, quàm fuerit damnosa militis extranei contrà præscriptas Regni Leges, & Conditionem 13. Diplomatis Regii, absq; consensu Regni introducti, ac dè facto etiam in visceribus Regni, sine aliquâ Regnicolarum utilitate existentis, & actu inimico Regnum devastantis, per condescensiones miseros Regnicolas exhaurientis constitutio, in serie Gravaminum suorum Eidem Majestati Vestræ Sacratissimæ Status & Ordines sat fusè repræsentarunt. Propter cujus nimiam in omnes Status pro libitu dominandi, & impunè omnia audendi sibi vendicatam licentiam, licet totalem ejusdem eductionem non immeritò postulare possent; pro sua tamen ergà Majestatem Vestram Sacratissimam devotione eatenus quoque contestandâ, pro certo ejusdem militis numero, stante præsenti Diætâ, cum Regnicolis determinando in Regno ad certum tempus, donec videlicet vigentes motus sedati fuerint, tolerando, ex Liberis Civitatibus tamen, sicut & locis ac Arcibus privatorum Dominorum, stante præsenti Diætâ, simpliciter educendo, & ad loca anteà quoque Præsidio Germanico firmata, cum Consilio Hungarico proportionaliter distribuendo, ac posteà, (si id de facto fieri non posset) ad sua loca collocando, sese resolvunt. Interim autem de residuo statim post Diætam intra spatium unius mensis, sine molestia Regnicolarum, & miseræ plebis oppressione educendo, & neque posteà per supplementa, sive Recrutas, ut vocant, ullo sub prætextu, contra præscriptam Conditionem 13. Diplomatis Regii, ac alias

Digitized by Google

Regni Leges ibidem citatas, sine consensu Regni introducendo, demisse supplicant.

Atque ut miles modo prævio in Regno determinato numero tolerandus, & ad Confinia, uti præmissum est, antea quoque Præsidio Germanico firmata, sine aliqua Nobilium in Confiniis & aliis Præsidiatis Locis degentium molestia, in hospitiaq; & domos eorundem condescensione, nec non terrarum, ac pratorum, hortorumq; ac aliarum id genus pertinentiarum violentâ pro se usurpatione distribuendus, ab omnibus gratuitis quorumvis victualium extorsionibus, & Quartiriorum coactivis impositionibus, Curiarumq; Nobilitarium invasionibus, in Pagos, sub quocunque tandem prætextu, fiendis excursionibus, eorumq; taxationibus, sine Commissariis Comitatuum ad id specialiter ordinandis, etiam in casu necessitatis itinerando fiendis condescensionibus, liberisq; vecturis, ac miseræ plebis omnis generis oppressionibus, juxta Articulum 67. 1647. seriò inhibeatur; de solutioneq; eidem statis suis temporibus, sine defectu fiendâ provisus, proprio ære vivat, atque cum omnimoda bona disciplina, & immediatâ, à Domino Comite Regni Palatino, Locorumq; Generalibus & Capitaneis Hungaris nativis, juxta Articulum 25. Anni 1659. dependentiâ, ibidem conservetur; excedens verò, & aliquomodò damna inferens, consuetô Jure militari à suis Officialibus, juxta mensuram delicti, cum satisfactione damnificato dandâ, realiter puniantur, atque si ipse Officialis in præmissis remissior vel interessatus fuerit, delatâ ad Dominum Comitem Palatinum, in Superiori verò Hungaria, eodem Domino Comite Palatino impedito, ad Generalem illarum Partium nativum Hungarum querelâ, contra eundem quoque servatis de Jure militari servandis, ac Germanis etiam Officialibus, cum Hungaricis Judicibus pro tali Judicio adhibitis, juxta Articulum 5. Anni 1555. cum omnimoda damnificatis dandâ satisfactione; per dictum Dominum Comitem Palatinum, eo verò, uti præmissum est, impedito, in Superiori Hungariâ illarum partium Generalem, realiter & effectivè procedatur: Justum omninò & juri omnium Gentium conforme censent Regnicolæ, ex nimia enim indisciplinati militis insolentiâ, & absoluta quadam in Regnicolas dominandi hactenus sibi vendicata licentia, afflictorum Patriæ Civium ruina, multorumque locorum recenter etiam proprio in cinere ferè fumantium desolatio, & exindè animorum ab eadem Majestatis Vestræ Sacratissimæ militia aversio, vel potissimum in Regno causata esse dignoscerentur: ac nisi simile quid positivâ Lege strictissimè observanda contra milites excedentes statuatur, nunquam fideles

Status.

Digitized by Google

Status & Ordines à licentiosis militum oppressionibus, hactenus quasi in terra hostili, impunè patratis liberabuntur, nec Majestas Vestra Sacratissima superindè importunis injuriatorum & damnificatorum supplicationibus molestari intermittetur.

Quoad Subsidium verò aliquod pro eodem milite, modô prævio, in Regno tolerando, à parte Regnicolarum ordinandum, libenter eatenus etiam fideles Status & Ordines Majestati Vestræ Sacratissimæ complacere studerent, nisi eos extrema rerum egestas, ad quam tàm per militem Majestatis Vestræ Sacratissimæ, quàm alios violentos Patriæ deprædatores, ac ipsum etiam naturalem Christianitatis hostem potiorem hujus Patriæ, & vel maximè Superioris Hungariæ partem sibi subjugantem redactos, hic & nunc prohiberet.

Cœterùm humillimas habent Status & Ordines gratias, pro oblatâ insolitorum Vectigalium & Regalium, per Officiales & milites Germanos in pontibus & passibus ad fluvios Vagh, Dudvagh, Rabcza, Tybiscum, & Danubium, ad Leopoldopolim, Trenchinium, Sellyam, Szeredinum, Guttham, Commaromium, Jaurinum, Thokainum, Szatthmarinum & Posonium, per Cameram Hungaricam licentiosè sibi vendicatarum exactionum sublatione, quæ vectigalia, siquidem actu etiam tàm à Nobilitate, quàm miserâ plebe indifferenter, cum injuria Nobilitatis æquè ac miseræ plebis exiguntur; demissè iteratò instant, quatenus effectivam omnium talium vectigalium & Regalium sublationem, Articulis etiam Regni inserendam, seriò demandare dignetur.

Ad Tertium Gravaminis Punctum, in eodemque contenta, siquidem vix aliquid benignæ resolutionis loco Status & Ordines acceptassent, ideò benigniorem ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionem expectarent, pro eademq; iteratò apud Suam Majestatem Sacratissimam humilimè instarent.

Et quidem Primò: Ne Nobiles contra Conditionem Primam Diplomatis Regii, aliasque Leges in gravamine citatas, sine legitimo Juris Processu, ad ullius omninò instantiam, non citati, & non convicti, arestentur, vel quoquo modo damnificentur.

Secundò: Ne Regnicolæ, extra consuetos Juris processus, inviti Commissionibus aggraventur, aut coram Judicibus deputatis, tàm internis, quàm externis, & Foro Delegatorio juri stare cogantur.

Tertiò: Ut quæ his temporum revolutionibus, Reversales, Fidejussionales, & Contractuales seu Bonorum Cessionales Literæ, tàm in præscripto Delegato Judicio, quàm extra illud Generalatui vel Admi-

Digitized by Google

nistrationi Cassoviensi, aut aliis quibusvis potentioribus, per quoscunq; occasione horum motuum, tàm intra, quàm extra Regnum datæ fuissent, eædem omnes, sicut & universa Decreta, in præjudicium Libertatum Regni, per quoscunq;, qualitercunq; & quandocunq; extradita, simpliciter & de plano cassentur, bona verò tàm mobilia, quàm immobilia, vigore talium Literarum, sicut & præscriptorum Delegatoriorum Processuum, aut aliter qualitercunque occupata & confiscata, cum annihilatione similium Processuum, legitimis ipsorum Dominis, vel ipsorum hæredibus, cum fructibus medio tempore perceptis, ipso facto restituantur; Fiscus verò, si quid juris eatenus se habere speraret, id legitimâ juris viâ extra Dominium consequatur, atque imposterùm nullo unquam sub prætextu tales Processus Delegatorii, vel alii his similes, Legibus Regni & libertati nobilitari præjudiciosi introducantur, neque Regnicolæ coram tali Judicio, citra incursum alicujus notæ, vel convictionis, aut ejusdem executionis Juri stare teneantur.

Quartò: Ut Fiscus Regius à modo imposterùm in casibus caducitatis, vel notam infidelitatis præ se ferentibus, aut aliis quibusvis sub prætextibus, bona Regnicolarum propria authoritate occupare, verùm ad mentem Tituli 75. Partis secundæ, Uladislai Decr. 2. Artic. 3. Anni 1542. Constitutionum Posoniensium Art. 43. 44. nec non Anni 1638. Art. 24. prætensum Jus suum, renovatis hoc loci præscriptis Articulis acquirat, bonaq; taliter occupata, tam mobilia, quàm immobilia, simpliciter legitimis eorundem Dominis, vel ipsorum hæredibus restituat.

Quoad Exulantes verò resipiscentes, & intra spatium duorum Mensium per Majestatem Vestram Sacratissimam præfixum, ad fidelitatem redeuntes, bona sua rehabere volentes, stat ulteriùs etiam in Clementi Majestatis Vestræ Sacratissimæ gratiâ, qualiter eatenus sese resolvere dignabitur: Interim hanc suam benignam voluntatem Cameræ quoque suæ Hungaricæ, & administratori Cassoviensi intimare, effectivamq; talium bonorum restitutionem, cum refusione extortorum honorariorum, vel aliarum quarumlibet taxationum, sine aliqua tergiversatione fiendam, eisdem seriò committere non dedignetur; siquidem non ignorarent Regnicolæ, anteà etiam certas grationales, super restitutione bonorum, per Majestatem Vestram Sacratissimam clementer nonnullis extraditas, vel planè ineffectuatas, vel retardatas, aut verò per notabilem sollicitantium taxationem, ex parte nonnulorum Cameralistarum

factam,

factam, & ut præmissum est, honorariorum, & id genus aliorum etiam exactionem, cum digestu ipsorum redeuntium, & aliquorum etiam ad priora sua malè acta reversorum, effectu suo caruisse.

Pro Posoniensi aresto Comitis Illyeshazy, ad instantiam Regnicolarum benignè relaxato, Status & Ordines humilimus agunt gratias; tamen, ut informarentur, conditionata ejusdem sub strictissimis reversalibus de sedatis aresti relaxatio, consideratis circumstantiis non dimissionem & libertatem, sed Libertatis Regni æquè præjudiciosam ejusdem aresti permutationem sapere videretur, dùm vigore earundem Reversalium idem Comes à Regno abstinere, & extra Regnum quasi exul manere deberet; ideò pro absoluta ejusdem Comitis eliberatione, cum præscriptarum Reversalium relaxatione, & cassatione, ac in integrum ejusdem restitutione, iteratò demissè instant.

Si verò quispiam Regnicolarum (quod Deus avertat) crimen læsæ Majestatis incurrendo, legitimô Juris hujus Patriæ ordine convictus, bona sua amiserit, quod portiones hæredum pro illis relinquendæ forent, clarus esset inter cœteras Leges superindè in gravamine citatus Articulus 104. Anni 1659. per expressum innuens, ut in executione sententiarum notoriarum, portiones hæredum tempore executionis, per executores hæredibus exscindantur, & pro illis intactè relinquantur. Cùm autem casus criminis læsæ Majestatis species esset notæ infidelitatis, clarum evaderet, quod in illo casu quoque, tanquam notorio, portiones exscindendæ venirent.

Quoad Sabarienses, certum quidem, magnis expensis cum Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Episcopo Jauriensi initium habentes Contractum, Status & Ordines Regni, tàm quoad querelas eorundem, quàm Meszlenienſum, nec non Universitatis sedis Devecſer, prouti & Possessionis Bagyok in Gravaminibus eorundem Statuum & Ordinum Majestati Vestræ Sacratissimæ humilimè porrectis contentas: si & in quantum modalitate inibi declarata, stante præsenti Diæta, negotium idem in effectum deduci nequiret, per dictum Dominum Comitem Palatinum amicabiliter sopiendum & complanandum tractetur. Amicabili verò non succedente, iidem Status & Ordines Regni decernunt, ut ad primitùs celebrandam Regni Diætam Articulariter rejectum, nullis hoc in passu obstaculis, aut impedimentis quibusvis suffragari valentibus, modalitate in prærecensitis gravaminibus expressata, judicialiter revideatur, & peremptoriè includatur. Interea verò singuli præscriptorum querulantium, in usu Privilegiorum, vel exemptionalium suorum ex integro omni meliori modo conserventur & manuteneantur, ne-

Digitized by Google

que Dominus Episcopus aut Successores sui Episcopatus, per se, vel alios dictos querulantes impetere, turbare, aut quovis modo molestare, usque ad plenariam antelatarum Causarum decisionem, sub pœnâ violentiæ, assentiente in eam eodem quoque Domino Episcopo, vigore brevium, toties quoties per Vice-Comites Comitatuum adjudicanda, suoque modo ex bonis dicti Domini Episcopi, vel successorum ejusdem, impedimento absque omni exequenda, cautum esse debere judicant Regnicolæ.

Negotium autem Oerseghiensium, juxta gravamen in sede Domini Terrestris judicialiter revidendum & determinandum, iteratò censetur, non obstantibus quibusvis Protectionalibus. Jure nihilominus Fisci, si quod haberet, consuetâ Juris viâ celebranda acquirendo, salvo permanente, cautum esse debere dignum censent Regnicolæ.

Quoad Officiales demùm Dominii Ovariensis excedentes, siquidem clara esset contra illos querela, in gravamine expressa, per integrum Comitatum proposita, majorque uni Comitatui fides, quàm interessato Officiali adhibenda foret. Ideò sine ulteriori rei informatione à dicto Officiali interessato capienda, veluti minùs necessaria, ut hoc in passu etiam læsæ Regnicolarum libertati consulatur, & gravamen Majestati Vestræ Sacratissimæ humilimè porrectum benignè admittatur, dignum censent Regnicolæ.

Ad Quartum. Quibus ex rationibus sunt inducta, & à Regnicolis militari etiam manu exacta, gravia illa Repartitionis & Accisarum onera, fideles Status & Ordines non investigant; Interim tamen eadem ipsa onera in maximum Libertatum suarum & Regni præjudicium, contra Conditionem Primam Diplomatis Majestatis Vestræ Sacratissimæ, ac Matthiæ Regis Decret 3. Articulum II. aliasque Regni Leges passim superindè editas, præter consensum & voluntatem Regni, cum notabili totius Patriæ ruina, fuisse imposita, Iidem Status & Ordines non immeritò querulantur, ac pro ulteriori impositionis eorundem onerum, ad demissam ipsorum instantiam facta, oblatâ sublatione, siquidem de facto quoque eadem onera, tàm Repartitionis, quàm accisarum in plerisque locis exigerentur, humillimas quàm possunt, cum profunda homagialis fidelitatis suæ obligatione gratias referunt, & pro reali eorundem sublatione iteratò demissè instant.

Quia verò præter præscripta sibi præjudiciosè imposita onera, alia etiam quasi loco præscriptorum onerum adinventa Centum Septuaginta Millium Florenorum Rhenensium impositio Viennæ Anni 1678. præsentibus nonnullis Regni Magnatibus, per certos Cameraticos, ac alios quoque extraneos, ad totum Regnum similiter, contra leges & Liber-

Digitized by Google

bertatem Regni, signanter verò Uladislai 5. Articulum I. nimis præjudiciosè limitata & distributa extitisset, cùm tamen nec ipsi Magnates, tantò minùs extraneorum aliqui, contra citatum Articulum I. Uladislai 5. simile quid Regno imponere potuissent, Ideò repetitô hoc loci suo gravamine, tàm præscriptarum, quàm aliarum universarum præjudiciosarum impositionum, taxarum & accisarum, cùm omnium exindè, qualitercunque prætensarum restantiarum relaxatione, literarumque, si quas fortè aliqui Prælati & Magnates, in pacto hujusmodi Contributionum dedissent, restitutione, vel earum cassatione; realem per totum Regnum sublationem simpliciter fiendam, & Articulis Regni inserendam iteratò supplicant.

Atque ut præscriptus Articulus I. Uladislai 5. quoad nulla Contributionum Regni onera assumenda, sed neque ad aliqua negotia similiter nomine Regni tractanda, tantò minùs concludenda, sub nullitate tractatus & conclusionis, pœnaque in eodem expressata, extra Comitatus etiam ad singulos Prælatos, Magnates & Nobiles, nec non Liberas ac Montanas Civitates, in particulari extendetur, atque tam pacis, quàm belli tempore strictissimè observetur, demissè instant.

Ubi verò loco Repartitionis, jàm per gratiam Majestatis Vestræ Sacratissimæ sublatæ, (licet de facto etiam, uti præmissum est, unà cum Accisis in Superiori Hungaria exigatur) alio aliquo subsidio vel in paratis, vel in natura pendendo, succursum Regnicolarum desiderat, universi fideles Status & Ordines Regni, ex rationibus præcedentibus Puncto Tertio appositis, ob extremam videlicet, tàm sui, quàm miseræ plebis nimiam & actualem, quâ de facto etiam, tàm à Militiâ Majestatis Vestræ Sacratissimæ, quàm aliis, tàm internis quàm externis, ac ab ipso quoque naturali hoste, cum desolatione dulcissimę suæ Patriæ, universę Regni Partes premuntur, calamitatem (perditâ quoque in multis locis messe & vindemiâ) modum hic & nunc non vident, quô eandem Majestatis Vestræ Sacratissimę intentionem secundare possint; Quoad proportionalem porrò in superiori Hungaria Silignis, Avenæ, & aliorum Victualium, cum Generalatu & Administratione Cassoviensi ineundam limitationem, siquidem illam deformis ex desolatione illarum Partium, de facto etiam diversarum nationum hostilitatibus, ac militiæ etiam Majestatis Vestræ Sacratissimæ ibidem actu existentis depopulationibus exposita facies, pro hic & nunc non concederet, Majestas quoque Vestra Sacratissima id non illarum Partium, quæ ab undecennio continuis intestinorum motuum tumultibus agitatæ, actu etiam Sedes belli essent, renitentiæ, sed rerum

ex

ex præſcriptis incommoditatibus cauſato defectu, benignè adſcribere dignabitur.

Ad Quintum. Quandoquidem clarum eſſet, non tantùm hujus Regni & Regnicolarum ſalutem, ſed etiam vicinarum Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ Provinciarum quietem & permanſionem, ex bona Confiniorum proviſione dependere, ipſosque Stat. & Ord. eorundem Confiniorum ſitum & ſtatum, quoad omnes circumſtantias præ cæteris magis exploratum habere. Ideò nihil Dignitati Regię præjudicioſi ſe acturos opinantur, ſi ulteriùs quoq; Legibus Regni inſiſtendo, tàm de antiquorum Confiniorum conſervatione, quàm verò novorum, & vel maximè Uyvarino opponendorum, pro ſecuritate itinerantium, erigendorum, ſicut & his annorum viciſſitudinibus certorum locorum, partim per ipſam militiam Germanicam, partim verò Malecontentos Hungaros, dirutorum, neceſſaria reparatione, nativique militis in eadem omnia confinia fienda inductione, certum tractatum, ſtante præſenti Diæta, juxta antiquum uſum, & laudabilem hujus Regni conſuetudinem, in ſimilibus hactenùs ſemper obſervatam, poſitivasque Patriæ Leges, ſignanter verò Conditionem 3. & 13. Diplomatis Regii, ac Articulum 3. Anni 1655. in eundem à Majeſtate Veſtrâ Sacratiſſimâ iteratò poſtulaverint, nulli dubitantes, quod ſicut glorioſi Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ Anteceſſores Hungariæ Reges omnimodam Confiniorum Hungaricorum & Croaticorum proviſionem, ac militum nativorum in illis intertentorum ſolutionem, partim amore hujus Patriæ, partim verò defendendarum ſuarum vicinarum Provinciarum causâ, juxta Articulum 2. Anni 1649. in eodemque citatam Conditionem Octavam Diplomatis Regii Anni 1638. ad Articulum 4. Anni 1655. in ſe aſſumpſiſſent, ita Majeſtas quoque Veſtra Sacratiſſima laudabilibus deſideratiſſimorum majorum ſuorum veſtigiis inhærendo, ad mentem etiam Art. 9. 1659. pro Paternâ ſuâ, quâ erga afflictum hoc Regnum, vel potius exiles tantùm ejusdem reliquias, fertur curâ & ſollicitudine, ulterius quoque dictorum Confiniorum proviſionem, & militis nativi, in eadem, ſtante præſenti Diæta, numero, pro modernâ ratione temporis, quô majori poterit ordinandi, & ſuccurſu quoque Vicinarum Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ Provinciarum, & mediâ hujus Regni Triceſimâ, in præſentiarum etiam, usque adfuturam Diætam, in eum præcisè finem convertenda, Majeſtati Veſtræ Sacratiſſimæ modalitate in præſcriptis Articulis denotatâ, humillimè oblatâ, exſolutionem in ſeſe benignè aſſumere, eosdemque milites nativos, cum intertentione neceſſariorum, in locis debitis ſpeculatorum, ſingulis angariis, ſeu Anni quartalibus, meliùs quàm anteà (ſiquidem certum eſſet, eisdem

intra

Digitized by Google

intra spatium Septem, Octo Annorum vix de unius anni stipendio satisfactum fuisset) exsolvi facere dignabitur; Iteratò supplicantes, quatenus tàm Sacri Romani Imperii, quàm ipsius Summi Pontificis, uti & Regis Catholici Hispaniæ auxilium, per specialem, stante præsenti Diæta, denominandum Ablegatum nativum Hungarum, in hac extrema Regni necessitate implorare dignetur. Vel ex eo etiam, quod ipsi fideles Status & Ordines, ob extremam sui suorumque egestatem (cum & messem & vindemiam hujus anni in nonnullis locis, cum extremo propriorum vivendi mediorum defectu, perditam experirentur) actualemque diversarum in Regno grassantium, & Patriam ab una parte deprædantium nationum hostilitatem, ab altera verò militiæ Cæsareæ similiter in visceribus Regni afflictos Patriæ Cives nimium exhaurientis insolentiam, pro hic & nunc præter oblatam mediam Tricesimam, subsidio succurrere non possint, licet considerato, & accuratiùs ponderato fidelium Regnicolarum statu, satis subsidii tàm huic Patriæ, quàm Vicinis Majestatis Vestræ Sacratissimæ Provinciis, adeoque toti Christianitati se præstitisse, & de facto etiam præstare arbitrantur, dùm (præter tot & tantas militiæ germanicæ in visceribus hujus Regni constitutæ sui depopulationes) summam multorum centenorum millium florenorum superantes, à tot seculis funestissimas multorum millium ex suis desideratorum cœdes & captivitates, ac cum jactura omnium facultatum suarum, diversas, sæpiùs sui, suorumque desolationes, à potentissimo Christiani nominis hoste, pro defensione Christianitatis, & vicinarum Provinciarum sustinendo, ejusdemque Regni Incolæ nudato ferè pectore, cum prodiga nonnunquam sanguinis sui profusione, toti Christianitati fortissimo, subindè hostiles insultus reprimendo, atque taliter sanguine suo vicinis Majestatis Vestræ Sacratissimæ Provinciis quietem, & domesticam pacem, sibi verò hactenus semper æternum tàm potentis inimici odium procurando, taliterque non sine magno, & lachrymis omnium proborum deplorando florentissimi olim hujus Regni, ex amplissimis Octuaginta duobus Comitatibus antea constantis, jam verò vix quinque vel sex ex integro à jugo Turcico liberis exstantibus, dispendio, tyrannicam ferocissimi hostis potentiam propulsando (quod recenter etiam hinc inde in diris Turcarum carceribus squalentes Hungari captivi manifestum redderent) cum fatali quadam extremæ sui, suorumque desolationis & interitus periodo, fidelia Majestati Vestræ Sacratissimæ & toti Orbi Christiano servitia præstitit, atque taliter sanguine suo sæpius cum prodigalitate effuso, à tot Annorum Centuriis vicinas Majestatis Vestræ Sacratissimæ Provincias amœnitate pacis domesticæ gavisas, bonis rebusque suis, sine alicujus inimici molestia

 poti-

potitas, ad homagialia Ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ servitia hactenùs suo modo & ordine securè præstanda, cum omnimodâ sui enervatione conservavit.

Quoad rationes verò de media Tricesima, aliisque Regni proventibus & exactionibus, pro subsidio militari hactenùs Articulariter ordinatis, sicut & gratuitis laboribus à Camerâ Hungaricâ, reliquisque eatenus interessatis desumendas, optarent quidem fideles Status & Ordines, si stante præsenti Diæta eædem exigi possent, quia tamen ipsi etiam id hoc rerum statu fieri vix posse advertunt; Ideò pro iisdem rationibus ad mentem Articuli 39. & 151. 1647. certos ex parte suâ exactores, utpotè in Partibus Cis- & Ultra-Danubianis, Dominum Comitem Palatinum, vel illo legitimè impedito, Dominos Generales Nativos, Reverendissimum Dominum Petrum Korompay, Episcopum Vaciensem, Dominum Comitem Nicolaum Draskovich, Dominum Matthiam Osztrozich, Dominum Valentinum Szenthe, Vice-Palatinum, Dominum item Matthiam Sigray, Personalis Præsentiæ Regiæ Protonotarium, & alterum Matthiam Preiner, Liberæ ac Regiæ Civitatis Soproniensis Consulem, nec non Vice-Comites Comitatuum earundem Partium in Civitatem Posoniensem; In Partibus verò Hungariæ Superioribus, futurum Generalem nativum, vel illo non existente, Dominum Comitem Stephanum Csaky, Reverendissimum Dominum Georgium Horvath Corbaviensem, Dominum Ladislaum Karoly, Dominum Gabrielem Kapy, Dominum Stephanum Kalmanczay, & Vice-Comites illarum Partium in Civitatem Cassoviensem, non obstante unius vel alterius absentiâ, utrobique pro Festo Conversionis Sancti Pauli proximè futuro, vel alio per Dominum Comitem Palatinum competenter præfigendo strictissimè desumendis denominant.

Relaxatis hoc loci ad demissam instantiam Nobilis Dominæ Sophiæ Bornemisza, primùm quidem Egregii Domini Gabrielis Palugyay, ex post verò Johannis Spacay, aliàs Cameræ Hungaricæ Perceptorum, Relictæ Viduæ Mille Thaleris Imperialibus (quibus eadem post mortem præscripti prioris Mariti sui datis rationibus restantiaria mansisset) super iisdem ipsam Articulariter absolvendam.

Et quia injuriosa gratuitorum laborum, non juxta Articulos Regni, uti essent Articulus 117. Anni 1655. 52. 1618. & 37. 1622. sed juxta prætensam aliquam Tabellam Generalatus Cassoviensis, militari etiam manu sæpius cum arestatione & incarceratione Officialium Comitatus, à Comitatibus & miserâ plebe desumptorum extorsione, eorumque non ad loca Articularitèr, juxta Articulum utpote 130. 1659. & 116. 1655.

hactenùs destinata, sed hinc indè, uti est Citadella Civitati Cassoviensi magis nociva, quàm proficua, sine aliqua utilitate Regni distracta, ipsosque Articulares gratuitos labores in triplo & quadruplo etiam superante desumptione, ac aliis gratuitis servitiis nimium se aggravatos sentirent Regnicolæ: Ideò, ut à modo imposterum iidem gratuiti labores, juxta Articulos Regni superindè conditos, superiùs citatos, & non juxta prætensam Tabellam, aut aliter qualitercunque sine injuria miseræ plebis, statis suis temporibus exigantur, & ad loca juxta præcitatos Articulos 116. 1655. 130. 1659. distributa, & non aliò applicentur, præterque illos, nullis aliis gratuitis servitiis, lignis utpotè focalibus, vecturis extraordinariis, per Generalatus & Cameras, aliosque Officiales Germanos diversis sub titulis extorqueri solitis, onerentur, demissè supplicant Regnicolæ.

Similiter, licet vectura munitionum juxta Articulos Regni, signanter verò 25. 1659. & 16. 1655. Annorum, Liberis Civitatibus incumberet, his tamen temporum revolutionibus in Superiori Hungaria Generalatus, & Administratio Cassoviensis, de talibus vecturis cum dictis Liberis Civitatibus in pecunia conveniendo, easdem in casu necessitatis à Comitatibus desumpserunt; quarè cassatâ tali Legibus Regni præjudiciosâ, cum Civitatibus quoquomodo inita Conventione & impositione, ut à modo imposterùm tales munitionum vecturæ, non à Comitatibus, per totum Regnum, sed à Liberis Civitatibus exigantur, ulteriùs etiam statuendum veniret.

Cœterùm verò, siquidem Regnicolæ ob multorum locorum, tàm in superiori, quàm in his partibus injuriâ temporum ruinatorum desolationem in Gravaminibus suis inter cœtera pro rectificatione portarum institissent, superindeque nullam Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionem obtinuissent, ideò pro illa quoque resolutione se iteratò insinuant.

Quoad excessus verò contra Confiniorum Capitaneos, ac ipsos milites gregarios Majestati Vestræ Sacratissimæ in Gravamine fusiùs repræsentatos, puniendos, specialiter autem Adamum Balassa Supremum Köküviensis, Georgium Farkas Levensis, Nicolaum Benke Nitriensis, Samuelem Bellovich Fülekiensis, Præsidiorum Majestatis VestræSacratissimæ Vice-Capitaneos, siquidem nonnulli Regnicolarum, jam antea contra nonnullos Supremos & Vice Capitaneos, Comaromiensem videlicet, & Franciscum Ivanovich Carponenses, Croaticos & Germanicos authenticas suas Inquisitiones Consilio Bellico præsentassent. Ideò pro debita contra illos animadversione, cum satisfactione damnificatis effectivè,

ſtante Diætâ præſenti, in exemplum aliorum dandæ inſtarent; atque ut ſimiles Inquiſitiones contra reliquos Capitaneos fiendæ, non per Conſilium Bellicum, ſed de Lege Regni per Magiſtratus Comitatuum, aliaque Loca juxta Leges Regni authentica, uti ſunt in Regno Conventus & Capitula celebrentur, eisdemque taliter celebratis, ubique in Judicio debita fides & Locus detur, Juſtitiæ conforme cenſent Regnicolæ; quâ occaſione recapitulatio Gravamine Nobilitatis Fülekienſis contra Dominum Stephanum Kohary, ejusdem Loci Capitaneum, circa illud quoque benignam Sacratiſſimæ Majeſtatis Veſtræ reſolutionem præſtolantur.

Quoad Gravamen contra Succeſſores Rakoczianos, ſiquidem, uti Status & Ordines informarentur, moderna quoque Domina Principiſſa, nonnullas violencias, in gravamine ſpecificatas, ſtante Diætâ renovaſſet, eædem quærelæ ordinariâ Juris viâ ulla ſub illegalitate per dictam Dominam Principiſſam impedienda, revidendæ cenſentur.

Ad Sextum. Ex quo uterque tàm Catholicus quàm Evangelicus Status in negotio Religionis ad benignam Diplomaticam Suæ Majeſtatis reſolutionem ſe provocaſſet, idem negotium Status & Ordines Regni, ſtante adhuc præſenti Diætâ, per Suam Majeſtatem Sacratiſſimam benignè complanandum cenſuiſſent, ac in eum finem Sextum Punctum Gravaminibus inſeruiſſent, Suæque Majeſtati Sacratiſſimæ humilimè præſentaſſent. Per reſolutionem verò Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ benignam, præſcripto Gravamini & demiſſe Statuum & Ordinum Regni inſtantię ex integro ſatis non fieret. Ob hoc iidem Status & Ordines inhærent ulteriùs quoque humillimè eidem Gravamini utrinque præſentato.

Ad Septimum. Pro reſoluta correſpondentia inter Cameras, Aulicam & Hungaricam, Articulariter fiendâ ex dependentia abuſivè introducta tollenda Status & Ordines humillimas agunt gratias.

Quo verò ad theſaurarium, ex quo Leges Patriæ, uti eſſet Articulus Pacificationis Vienſenſis ad Quintum, & ſimiliter Articulus ad Quintum, Anni 1608. ante Coronationem Diplomate Regio firmati, ſicut & Articuli 15. 1618. item 42. 1545. nec Eccleſiaſticum nec Extraneum Theſaurarios præcipuè in Regno non poſſeſſionatos, aliàs vi Legum Patriarum, de proventibus Regni dandis rationibus obnoxios, & neque Legibus Regni ſubjacere volentes, adeoque abſolutum quoddam Dominium in omnes ferè Status ſibi vendicantes, in Regno tolerandos, non paterentur. Ideoque Gravamini eatenùs porrecto per omnia firmiter, debitâ cum fidelitate, inhærendo, Status & Ordines benigniorem Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ reſolutionem præſtolantur, & tàm ejusdem

Digitized by Google

Thesaurarii, quàm Vice-Gerentis illius, sicut & Administratoris Cassoviensis, ac omnium aliorum Extraneorum, imò nativorum etiam superfluorum, stante præsenti Diætâ, amotionem supplicant. Nam præter, sus etiam ex parte nonnullorum usus contrarius, præcitatis Patriæ Legibus subsecutis, simpliciter sublatus esse dignosceretur, cum post illas Conditas, nullum nec Ecclesiasticum nec Extraneum præter his motibus introductos Regni Thesaurarios fuisse certum esset.

Quoad bonorum restitutionem, inhærent Status & Ordines instantiæ suæ, eatenùs in Puncto Tertio *Replicæ* appositæ.

Quò verò ad mobilia super existentibus propinquioribus per Fiscum non occupanda, siquidem claræ essent Leges in Gravamine citatæ, Gravamen etiam stare debere censetur.

Circà bona mobilia, per nonnullos Officiales Cameræ in proprios usus distracta, inhærent & Ordines Gravamini, ita nimirum, ut tales, vigore brevium Articulorum jure conveniri, & compertâ rei veritate ad satisfactionem interessatis damnificatis dandam adigi possint.

Circa Magistratuum Civilium restaurationes verò, penes Liberas & Montanas Civitates, sine aliqua Camerarum in easdem fiendâ ingessione, ab antiquo liberè relinquendas, præter antiqua ipsorum Privilegia à Divis quondam Hungariæ Regibus eisdem concessa, & per Majestatem quoque Vestram Sacratissimam Diplomate suo Regio firmata, clarus esset inter cœteros Articulus 83. Anni 1647. liberam Magistratuum electionem sine Camerarum ingessione, illis relinquendam innuens, quem hoc loci confirmandum, & strictiùs quàm antea ex parte Camerarum observandum, atque quoad Officiorum functionem, liberamque eorum, sine Religionis & nationis discrimine, inter se alternatim fiendam distributionem, Articulum 13. 1608. ante Coronationem, nec non Articulum 44. 1609. renovandum censent Regnicolæ.

Respectu autem excessuum earundem Liberarum & Montanarum Civitatum in Gravamine repræsentatorum tollendorum, siquidem super iisdem excessibus pro hic & nunc animadversio peteretur, verùm ut imposterùm ab iisdem dictæ Civitates (quæ illos commisissent) Lege positivâ veteris simpliciter abstineant, quæ verò adhuc in præmissis non excessissent, ulteriùs etiam sibi caveant. Ideò sine ulteriori rei dilucidatione Articulos in Gravamine citatos confirmandos, & etiam ad Oppida Privilegiata & exempta, eorundemque Dominos Terrestres extendendos vellent Regnicolæ.

Quoad Tricesimatores, Decimatores, & Teloniatores excedentes, nec Regnicolæ instant; ut non auditi, & ordine Juris non conventi quoquo modo damnificentur, verùm, ut consuetâ Juris viâ coram suo competenti Judice Comitatensi vigore brevium requiri, & non obstantibus Inhibitionibus, Mandatis, & aliis quibuslibet impedimentis, Germanicisq; assistentiis, uti hactenus factum fuisse perhiberetur, Jure conveniri possint, similiter Articulos superindè jam conditos hoc loci renovandos postulant. Ac convictionem Wimpascienſem, ad instantiam Liberæ ac Regiæ Civitatis Majestatis Vestræ Sacratissimæ Sopronienſis, suo modo & ordine factam, debitæ executioni mancipandam humilimè judicant.

Et quia in Gravamine expressa esset querela contra Tricesimatorem Jaurienſem, contra eundem quoque servatis de jure servandis, sine quovis impedimento pro demerito animadvertendum postularet.

Atque ut omnes & singuli abusus his temporum revolutionibus, contra vectigal Regium, aliasque positivas Regni Leges Articulum 39. Anni 1498. & Articulum 29. 1655. per quoscunque & qualitercunq; tàm per Tricesimatores eorumque ContraScribas, quàm per Teloniatores introducti, simpliciter & de plano cum rectificatione vectigalium per certos Commissarios denominandos fiendâ, & sublatione Filialium Tricesimarum noviter præjudiciosè erectarum, speciali Articulo tollantur, justum censent.

Denique contra Judicatum Cameræ, sibi, cum maximo Libertatum Regni præjudicio, in omnibus ferè causis & negotiis nimis liberaliter vendicatum, siquidem Regnicolæ diversas, & directè in eversionem Jurium & Libertatum earundem, per Cameras hactenus factas haberent querelas. Ideò eatenus etiam instantiæ suæ satisfieri, eundemque Judicatum Cameralem, per modernos eorundem Præsides, seu Supremum & Vice-Præfectos nimis licentiosè in omnes ferè Status sibi vendicatum, omninò tollendum postulant.

Pro obsidum Nagybanyenſium liberatione, Teloniorum siccorum benignè resoluta sublatione, & Judæorum à Teloniis amotione, humilimas Status & Ordines habent gratias, eademque Telonia sicca, juxta Articulum 17. Anni 1618. sicut & Articulum 57. 1659. statim post præsentem Diætam primo quoque tempore tollenda resolvunt, quod ipsum etiam ad Regnum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ extensum habetur.

Similiter pro resoluta restitutione Literarum Literaliumq; Instrumentorum, bona restituenda, vel jam restituta concernentium, demissas

Digitized by Google

demissas referunt gratias, humilimè supplicantes, quatenus datę eatenus resolutioni annexam conditionem (modò & illi, quibus similia instrumenta restituenda sunt, pręstanda pręstiterunt) benignè explicare dignetur.

Et quia Salarium quoque Tabulę Judiciarię Regię Judicibus juxta Articulum 51. 1655. ordinatum, de facto etiam per Cameram Hungaricam denegaretur. Ideò pro actuali & effectiva dictę Tabulę Judiciarię Regię tàm in hac, quàm in aliis quoque singulis Dietis, & Extraordinariis, Octavalibusque & Brevibus Judiciis, & Appellationum revisionibus celebrandis, sine omni defectu, absque aliqua ad Cameram Aulicam, aut alios quoscunque fiendâ provocatione, ad solam Domini Comitis Palatini (uti antea quoque factum fuisse constat) Commissionem, generali proventuum dictę Camerę Hungaricę Perceptori dandam, semper à die motionis Judicum ad talia Judicia vel Dietam venire obligatorum, usque ad finem laboris & itineris computando, sine defectu, ut præmissum est, exsolvi facere sit obligata, Articulariter statuendum venire. Quod ipsum etiam ad Septemviratum (in quantum mos & antiqua consuetudo dictaret) extendendum, & humilimè intelligendum habere, locove demortuorum alios per Dominum Comitem Palatinum surrogandi & creandi facultatem eidem attribuendam, demisse supplicarent & judicarent.

Occasione hac Universi Status & Ordines præscriptorum Regnorum Hungariæ & Croatiæ ad demissam instantiam Inclytæ Tabulæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ Judiciariæ, in Publicis, ac consequenter Majestatis Vestræ servitiis, studiosè desudantis, coram iisdem propterea factam, partes suas apud eandem Majestatem Vestram Sacratissimam suppliciter interponunt, quatenus iisdem Dominis Judicibus, juxtà Articulum 51. 1655. in supplici Libello eorundem Majestati Vestræ Sacratissimæ humilimè porrectô specificatum, ad quatuor & non duos, uti benignum Majestatis Vestræ Sacratissimæ Decretum ad Inclytam Cameram Hungaricam directum, in se contineret, & quidem à die motionis è domibus seu solitis eorundem Judicum residentiis, ac non ipsa duntaxat die inchoatæ Sessionis, imò etiam ad propria fiendi reditus, legitima, condigna, Legibusque ac Juribus Regni justa & conveniente ratione habitâ computando, clementer persolvi facere dignetur, omnis generis victualibus pretiosis existentibus, præter limitatos florenos duos dieratim plures exponerent, nulli dubitantes, quin Majestas Vestra Sacratissima hujus legalis, & simul humilimæ instantiæ, ac interpositionis, clementer habitura sit respectum; benignamque

suam

suam elargitura, cum satisfactione præscriptorum Dominorum Judicu,m resolutionem. Quo sic iidem tantò diligentiores, & exequenda sua munia aptiores & alacriores reddantur.

Ad Octavum. Paternè oblatam metarum Regni cum Vicinis Provinciis controversarum rectificationem, Status & Ordines humili accipiunt animo, demissè supplicantes, quatenus ex parte quoque earundem Vicinarum Majestatis Vestræ Sacratissimæ Provinciarum speciales Commissarios, adhuc stante Diætâ, denominari facere, vigentesq; hactenus controversias, juxta sanctam Majestatis Vestræ Sacratissimæ intentionem amicabili compositione mediante, ea verò non succedente, etiam Judicialiter in ipso eodem termino, per eosdem ab utrinque Commissarios, statim post præsentem Diatam, juxta Leges hujus Patriæ, debitô fine terminare dignetur, ut tandem aliquando, sublatis ab utrinque tot & tantarum dissensionum fomitibus, homicidiis parcatur, & afflictum hoc Regnum, aliundè etiam jam satis diminutum, antiquis suis in limitibus permanere, jusq; bonæ vicinitatis in mutua præscriptarum Provinciarum, & hujus Regni confidentia & charitate illibatè conservari possit.

Et quia circa aliquarum metarum, uti essent in Comitatu Szaladiensi, ad Styriam, sicut & negotii Budentin Familiæ Szunyogh, & Dominii Sztrechin ad Silesiam, ac in Bonis Köpchiniensibus ad Münichsvald, modo prævio fiendam rectificationem, Dominiiq; Manersdorff incorporationem, ac Civitatis Posoniensis, nec non Wolffsthal, aliàs Farkas, salva Possessionis sic dictæ modalitate in Gravamine expressata effectuandorum effectuatione, nulla in benignâ Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutione, ad aliquem Contractum Regno præjudiciosum per Familiam Battyany initum, eadem benigna sese provocaret resolutio, cum tamen nec ipsa Familia Battyany, sed nec alter quispiam Privatus, ad metas Regni, sine scitu & consensu Regnicolarum abalienandas, nullam omninò haberet facultatem. Ideò Status & Ordines, tàm pro reassumenda commissione, à parte Civitatis Szakolczensis ad Moraviam, & debito fine, juxta Leges hujus Regni (siquidem neque antea Domini Moravi se eisdem conformare voluissent) quò citius terminanda, quàm verò pro præscripti Dominii Budestimiensis Familiæ Szunyogh, & Sztrechin ad Silesiam, ac in bonis Köpchiniensibus ad Münichsvald, in Comitatu Szaladiensi ad Styriam rectificatione, ac consequenter præfatæ Civitatis Posoniensis effectuandorum, uti præmissum est, effectuatione, sese benignè resolvere,

atque

Digitized by Google

atque authoritate Regiâ, annihilato præscripto Contractu Bottyaniano, veluti, ut præmissum est, toti Regno præjudicioso, dictas metas Civitatis Fürstenfeldensis itidem Commissione mediante per denominationem Commissariorum quamprimùm rectificari facere.

Quo verò ad Gravamen prædictæ Familiæ Szunyogh ratione Processus Wesseleniany, ex quo idem partibus assentientibus, ad futuram Regni Diætam seponeretur, hac nihilominus assecurationis ex parte dictæ Familiæ Szunyogh cautelâ, modernis Constitutionibus Regni per expressum inserandâ, mediante, quatenùs eadem in eo, quo nunc esset, statu, juxta votum Regnicolarum in Gravamine porrecto declaratum, illibatè permaneat, ac secundùm idem in proximè affutura Regni Diætâ, ad instantiam modernorum Possessorum Budetiniensium, vel eorundem Successorum, casu quo medio tempore per amicabilem partes interessatæ convenire nequirent, impedimentis quibuslibet minimè obstantibus, reassumatur, admittendum; Ideò ut id ipsum Majestas Vestra Sacratissima benignè confirmare dignetur Status & Ordines humillimè instant.

Concessam porrò vinorum in vicinas Majestatis Vestræ Sacratissimæ Provincias invectionem, antea ad aliquas tantùm Civitates illimitatâ quantitate restrictam, Status & Ordines ex Jure confœderationis vicinarum Provinciarum, & communi commerciorum usu, generaliter ad omnes Regnicolas & Regni Civitates extendendam postulant, vel verò si his vina sua invehere non licebit, neque illis frumenti, Boum, Cutium & aliorum è Regno evectio, sicut nec vinorum eorundem invectio, quam hactenùs sibi cum præemptione, non sine injuria & præjudicio Regnicolarum vendicarunt, licita sit, justum censent; quod ipsum de inductione & eductione vinorum Regni Croatiæ æqualiter intelligatur.

Pro liberalitate verò in redemptionem Arcis Lyublyó & Tredecim Oppidorum Scepusiensium, perillustrissimũ & Reverendissimũ Dominum Archi-Episcopum Colocensem, oblatâ, quin recenter & denuò quoque coram Universis Statibus & Ordinibus afflicti Regni hujus, & partium eidem annexarum, palàm ac publicè, spontè & benevolè vitâ nimirum suâ durante, dummodò Majestas Vestra Sacratissima in eo clementer cooperari dignetur effectuanda, reiterata, Status & Ordines debitas eidem Domino Archi-Episcopo gratias referunt, & in eum finem Commissarios etiam ad Regem, & Rempublicam Poloniæ, infranotatos, futurum nempè Dominum Episcopum Agriensem, Dominum Comitem Sigismundum Homonay, & Dominum Stephanum Szirmay, ac Judices vel Senatores Liberarum ac Regiarum Civitatum Leuschoviensis & Cassoviensis pro tempore constitutos denominant; Nulli dubitantes, eundem Do-

Digitized by Google

minum Archi-Episcopum hanc suam liberalem erga Patriam propensionem, cum æterna nominis sui memoria Articulis Regni inserendam, in seram gentis Hungariæ posteritatem cum effectu transcripturum.

Casu tamen, quo præscripta Arcis Lyublyo redemptio, vitâ ipsius, ut præmissum est, durante non succederet, iidem Status & Ordines instarent, quatenus idem Archi-Episcopus, eandem Summam in præscriptum finem modô prævio oblatam, Testamentaliter etiam, virtute præsentis Statuti duntaxat, manibus Domini Comitis Palatini, aut alteri cuipiam Regnicolarum ad solitum Legale interesse; uni vel alteri ex Dominis Magnatibus & Regnicolis, ad sufficientes Assecuratorias seu Obligatorias desuper suo modo celebrandas, elocandam assignari, idemque Interesse, juxta piam ejusdem Domini Archi-Episcopi intentionem in Confiniariorum Superioris Hungariæ militum nativorum solutionem, converti facere velit.

Orientalem porrò Companiam quod attinet, cum illa non tantùm omnibus Regnicolis quæstum exercentibus præjudiciosa, sed etiam valdè damnosa, ac in quantum eidem incorporati, licet Extranei, Jus præemptionis in omnibus ferè venalibus pro libitu sibi vendicarent (cum tamen Indigenæ præ Extraneis eodem Jure præemptionis gaudere deberent) positivis Regni Legibus omninò vetita esse dignosceretur. Ideò pro ejusdem sublatione non immeritò instant.

Ad Nonum. Jus collationis tam officiorum Secularium (exceptâ Palatinatûs Regni Dignitate & Conservatoratus Regni Coronæ) quàm beneficiorum Ecclesiasticorum, virtute Legum Patriarum ab antiquo semper immediatè fuisse penes Reges Hungariæ, adeoque penes Majestatem quoque Vestram Sacratissimam, veluti legitimum hujus Regni Apostolici Regem, Dominum Dominum nostrum Clementissimum, nemo est qui impugnet: quia tamen Eædem leges similia Beneficia & Officia nativis & benemeritis personis, non verò extraneis conferenda innuerent, prætensusque usus & observantia per ipsas Leges in singulis ferè Regni Diætis in contrarium conditas, & per gloriosissimos Majestatis Vestræ Sacratissimæ Prædecessores, ac ipsam quoque Majestatem Vestram Sacratissimam Diplomate suo Regio benignè confirmatas, tacitam contradictionem contra talem prætensum usum in se involventes, interruptus esse dignosceretur. Ideò demissè porrecto Gravamini eatenus etiam inhærendo, pro benigniori, circa idem quoque danda resolutione instarent, vel ideò etiam, quod nec in aliis Majestatis Vestræ Sacratissimæ Provinciis Alienigenæ, præcipuè Hungari, ad Officia Publica adhibeantur, & Beneficia Ecclesiastica Externis conferantur. Accederet

ret adhæc, uti experientiâ constat, tales Extraneos ad Officia & Beneficia Hungarica promotos, sine aliqua utilitate Regni, magis labefactionis Jurium & Libertatum Patriæ, quàm conservationis eorundem studiosos fuisse, taliterque coacervando non contemnendo thesauro, & ex Patria educto, nec Religioni, nec Regno, sed neque servitio Majestatis Vestræ Sacratissimæ in hac Patria aliquid profuisse.

Quoad Residentiam Generalatus Partium Trans-Danubianarum cum Consilio Bellico, & Domino Palatino ordinandam Status & Ordines de facto in hac Generali Regni Diætâ præsentes, hoc negotium tanquam Hungaricum, stante Diætâ, censerent determinandum, Præsidiumque Nitriense, veluti Montanis Civitatibus, ac toti consequenter Regno, imò & vicinis Majestatis Vestræ Sacratissimæ Provinciis summè proficuum ac utile, loco Palorum, muro cingendum, cum reædificatione Possessionis Parucza, tanquàm dicto Præsidio Nitriensi summè utili, modalitate in Gravamine expressâ, legitimis ejusdem Possessoribus concedenda judicant, ac eatenus, prout & in reliquis ejusdem Gravaminis Punctis (in quantum clementem Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionem nec dum recepissent) benignum assensum demissè postulant.

Ad Decimum. Administrationem Justitiæ in hoc Regno hactenus, tàm per ipsos Officiales Extraneos, Legibus Patriæ ne in minimo quidem subesse volentes, adeoque illas cum injuriâ Regnicolarum liberaliter violantes, quàm verò nativos Potentiores Dominos Prælatos & Magnates, potentiæ Suæ confisos, debitum Juris cursum diversimodè impedientes, statutamque in contraven entes pœnam (nisi majori & potentiæ suæ proportionatæ pœnæ Articulariter subjiciantur) incurrere non formidantes, sæpius fuisse violatam, ipsi Status & Ordines, ultrò recognoscunt, & ex illo capite Gravamini eatenùs Majestati Vestræ Sacratissimæ porrecto, ulteriùs etiam inhærendo, benignam super introscripta postulata sua ejusdem resolutionem Articulis Regni inserendam demissè postulant:

Primò. Ut Judicia Octavalia Majora & minora, seu Brevium Brevia, Appellationumque revisiones, & Extraordinaria statis suis temporibus, non obstante quorumvis impedimento, vel contraria opinione & voto, tàm in Superiori, quàm Inferiori Hungaria, Majestas Vestra Sacratissima promulgare dignetur, vel Eadem absente, aut impeditâ, Dominus Comes Regni Palatinus, in Croatia verò Dominus Comes Banus, promulgare & celebrare possit.

Secundò. Ut ab ultima eorundem Judiciorum Octavalium cele-

Digitized by Google

bratione, usque ad futuram celebrationem Anni, in Causis & Processibus Octavalibus in reliquis Causarum Processibus Anni Undecim computandi, ab Anno 1670. currentes, tanquam continuis disturbiis involuti, à Legali præscriptione exempti habeantur, & cautelæ Art. 43. Anni 1649. adnumerentur.

Tertiò: Ne Inhibitoriis, legitimi Juris cursus (uti hactenùs factum est) turbentur, & Articulus 45. 1659. renovetur, talium Inhibitoriorum expositiones verò in foro Contradictorio tantùm, & non alibi edoceantur, ac parti quoque adversæ, coram Judice causæ idipsum disputare, sine incursu alicujus pœnæ, integrum sit. Simplicia verò Reexecutoria, veluti Legibus Regni præjudiciosa & vetita, pro illis duntaxat (qui in causa egerunt, aut eorundem successoribus, vigore successionis tale Jus suum acquirere volentibus (nunquam ex Cancellariis expediantur, expeditis verò per Judices sub amissione Officiorum eorundem nullus locus detur: Imò pars talia Reexecutoria extrahens, per eundem Judicem, ad quem extracta fuerint, juxta sancitas superindè Patriæ Leges, convincatur.

Quartò. Ne similiter illegitima Præceptoria Executoria expediantur, expeditisque nullus locus detur, & Leges eatenùs sancitę renoventur, atque omnibus causantibus, citra incursum alicujus pœnæ contra eadem excipere integrum relinquatur.

Quintò. Ut Magistri Protonotarii in designatione termini & loci, revisioni Causæ pręfixorum, non modò sui, verùm utriusque partis Causantis, rationem habeant, atque ne extra metas Tredecim Comitatuum, occasione bonorum ibidem existentium, sed vel in ipso Comitatu, ubi bona controversa existerent, vel verò ubi propter legalia impedimenta eò tutus non daretur accessus, ab immediatè vicinorum Comitatuum Partibus terminare debeant.

Quâ occasione Superioris Hungariæ Incolæ, inhærendo demissæ suæ instantiæ, ratione Judicis Curiæ, eundem sibi, innuente etiam Articulo 23. Anno 1655. per Majestatem Vestram Sacratissimam denominandum, iteratò supplicant. In partibus verò Cis Danubianis, ut unus Protonotarius & nonnulli Tabulæ Judiciarię Assessores, sine discrimine Religionis, constituti resideant, dignum cēsent. Et quia in Superiori Hūgaria, Pręlato etiā & Barone in celebratione Judiciorum Octavalium destituerentur; Ideò pro iisdē etiam sibi concedendis humillimè instarent, opinione suâ pro Prælato, Reverendissimum Dominum Georgium Horvath Episcopum Corbaviensem, pro Barone verò Magnificum Dominum Ladislaum Karoly denominantes.

Sextò: Quod si Judices Executores Terminos præfixos per se differre voluerint, talem dilationem in Causam attractis tempestivè significare, quod ipsum & Actores erga Judicem, & partem adversam fiendæ obligentur. Extensiones verò terminorum, nec dum exspirato termino priori, cum præfixione alterius competentis termini, & non aliter fiant. Atque ne in Causis Divisionum, ubi dividenda Bona in uno existerent Comitatu, ac Pignoratitiorum etiam, usque ad summam Judicibus Comitatuum attributam, ipsi Magistri Protonotarii (salvâ hoc in passu authoritate Protonotariali, hactenùs veteri & consuetâ, in Regnis Croatiæ & Sclavoniæ, in suo vigore permanente) procedant.

Septimò: Ut violenti legitimarum Executionum non admissores & turbatores, præter pœnam homagialem 50. Marcarum, in refusione expensarum & damnorum ipso facto exequenda, convincantur. Violenti demùm bonorum Judicialiter executorum reoccupatores, præter præscriptas pœnas, etiam in refusione fructuum, medio tempore perceptorum, similiter per eundem Judicem convicti habebuntur.

Quoad Judicialem verò hanc ordinationem, per certos deputatos Commissarios concinnandam, & Majestati Vestræ Sacratissimæ pro ratihabitione porrigendam, veluti per Status & Ordines Regni in suis Gravaminibus non postulatam, siquidem Legibus suis hactenùs conditis & per Majestatem Vestram Sacratissimam benignè confirmatis (dummodò in usu earundem Status & Ordines non præpedirentur) contenti essent; Ideò pro hic & nunc alia concinnatione opus non habere judicant.

Ad Undecimum. Futuram Regni Diætam stante præsenti, pro certo determinandam, & postea Posonium, veluti negotiorum Regni tractandorum locum Articulariter destinatum, cum expeditione Ablegatorum, ad eandem mittendorum, juxta usum hactenùs observatum fiendâ, tempestivè publicandam, Majestas Vestra Sacratissima sese benignè resolvere dignetur. Atque cum id quoque inconvenienter fieri observatum esset, quod nonnulli Ablegati Dominorum Magnatum, & eorundem Viduarum, quinque, sex & septem personarum Legationem in se assumere consuevissent, ideò catenùs etiam statuendum judicarent, ut à modò imposterum unus Ablegatus, cujuscunque conditionis sit, non nisi duorum Magnatum pauperiorum, vel Viduarum legationes in se assumere possit. Hoc loci verò Articulum 61. 1655. renovandum & strictissimè observandum statuere existimarent.

Ad Duodecimum. Amnistiam & Exulantium restitutionem Status & Ordines opinione suâ, pro tranquillitate Regni, juxta Leges hujus Patriæ concedendam judicant.

Replica Statuum & Ordinum Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ.

AD demissè exhibita Statuum & Ordinum Regni Gravamina, Anno currente 1681. Die 30. Mensis Septembris benignas Suæ Majestatis resolutiones Status humillimè intellexerunt, promptitudinemque & affectum pium & Paternum Suæ Majestatis Sacratissimę perpetuâ fidelium servitiorum subjectione, summaque gratiarum actione reponere, omni pro posse suo satagent, ulteriùs tamen adhuc ad innatam Clementiam Suæ Majestatis Sacratissimę recurrere necessitantur, posteaquam super nonnullis punctis difficultatum, gravaminum & postulationum suarum juxta ordinem submissarum instantiarum suarum resolutionem desideratam non recepissent; replicam resolvendarum hoc ordine submissè exhibent.

Ad Primum Punctum. Pro authoritate Banali Illustrissimo Domino Comite Nicolao Erdödy de Monyorokerek &c. subintelligendo, tàm in Juridicis, quàm in Militaribus, avitâ & absolutâ collatâ, iteratò (prouti etiam pro pia & Paterna cura Cæsarea & Regia promptitudine erga illa Regna, nec non etiam pulveris tormentarii clementi oblatione) immensas agunt Suæ Majestati Sacratissimæ gratias, supplicantes ulteriùs; Sua Majestas Sacratissima reliquas etiam petitiones in eodem Primo Gravamine expressas, juxta Leges & rationes ibidem citatas, clementer resolvere, militemque banalem exauctoratum, restaurare & augere, quemadmodum tormentorum & mortariorum petitionis benignam habere rationem dignetur. Pro augendo autem præmisso milite, aliam informationem à Statibus dari non posse, quàm illam, quæ in Articulis Regni expressata sit, de insurrectionibus conditis, cum & aliàs intra ambitum Regnorum illorum, ad retorquendum impetum hostis, secundum necessitatem frequenter contingere, quod subindè majori, subindè minori numero Regnicolæ cogantur, extrema verò necessitate ingruente, etiam viritim.

Ad Secundum. De Commissione Valachica, cùm illa Commissio tot Articulis & benignis Diplomatibus oblata, ineffectuata in omni sui parte existat, etiamnum, ut tandem in effectum juxta Leges in Gravamine citatas, sine ulteriori dilatione deducatur, demissè supplicant Status.

Quoad Tertium Punctum. De Privilegiis Valachorum, ut fiat juxta Leges per ipsos citatas, in quo insistunt præcitato Articulo 90. 1659.

Ad Quartum. Ibi comprehenduntur Valachi, illi tantùm, qui Regnicolis solùm, veluti Dominis Terrestribus suis, in quorum Territorio resi-

resident, obediunt, nullamque dependentiam ab Officialibus Confiniariis habent, & non illi, qui ad Confiniariam Jurisdictionem spectent. Ut tales Dicam & alia onera Regni solvant, qui loco Robottæ Dominis suis serviunt, armis & aliis obsequiis.

Ad Quintum. Instant demissè ulteriùs, ut Articulus 92. 1659. effectuetur.

Ad Sextum. Specificandam necessariò pœnam & modalitatem, quoad restitutionem fugitivorum Colonorum, Status & Ordines censent; nam Domini Capitanei & alii Officiales Confiniarii, persæpè cum resolutionibus, Legibus Regni dissonis, repetitores Dominos Terrestres talium Colonorum fugitivorum & servitorum expediunt, pœnam superinde nullam expressam incurrendam formidantes; Proindè pœnam denominandam in gravamine specificatam censent, sub quâ restitutio Colonorum fugitivorum fiat, sine quâ effectus exiguus, aut nullus sequeretur Gravaminis.

Ad Octavum. Inhærent Regnicolæ in collatione Officiorum Confiniariorum ordini & modalitati in Articulis 31. 1649. & 59. 1659. specificatæ, quos effectuari cupiunt, officiaque pari numero conferri, demissè petunt.

Quoad bona fiscalia in illis Regnis existentia, ut à Jurisdictione Regni non avellantur, demissè supplicant.

Decimum Punctum spectat ad Undecimum numerum generalium Gravaminum.

Ad Punctum Undecimum. De Bonis Zrinianis & Frangepanicis, præ manibus Domini Comitis Generalicis Karlostadiensis ita exoptant, ut eadem Bona Regni Juribus & Jurisdictioni subjecta esse ex integro intelligantur.

Ad Duodecimum. Status & Ordines inhærent Articulis de rectificandis metis conditis, insolitas verò, & dictis Articulis contrariantes Commissiones abolitas, in futurum cavendas, submissè cupiunt.

Ad Decimum Tertium. Grato acceptant animo Regnicolæ, ut inter Possessiones in eodem Gravamine specificatas, & alia loca de metis controversa, per eandem Commissionē negotium Juridicè complanetur.

Ad Decimum quartum. Resolutione hâc manent contenti Regnicolæ, gratiasque humilimas reponunt Suæ Majestati Sacratissimæ, prouti etiam pro *Decimi quinti* puncti resolutione, petuntque quantocyus effectuari, depascuationes scilicet in eo specificatas fœnilium tolli.

Quantum ad Decimum sextum, ubi Status & Ordines Regni injuriis per Confiniarios circa Confinia bona habentibus Regnicolis, illatis & inferendis,

Digitized by Google

dis, demissè postulant gratiosam resolutionem, ea verò resolutio, quæ occasione prætacti Puncti data esset, illa in puncto Duodecimo & Decimo tertio includeretur, quoad metas rectificandas. Proindè repetunt suam priorem super eo postulationem, sicuti etiam quoad educillum, juxta Articulum in Gravamine exhibito specificatum.

Pro confirmatione Articuli 4. 1649. humillimas agunt gratias Suæ Majestati Sacratissimæ, & petunt ulteriùs, ex rationibus in Gravamine specificatis, ut medietas ordinariæ dictæ Tricesimæ, in eundem finem convertatur, obnixè petunt. Pro resolutione ad Decimum Septimum & Decimum Octavum benignâ Suæ Majestatis Sacratissimæ debitas referunt gratias.

Ad Dcimum Nonum. Civitatem Szegniensem, quæ aliàs sola pro Sacra Hungariæ Corona ex Regno Dalmatiæ in fidelitate constanter perstitit, tàm contra inimicum naturalem Turcam, quàm Venetos strenuè pugnando, aliis universis Civitatibus Dalmatiæ cum in potestatem præfatorum Venetorum deventis, ad extremam egestatem redactam esse palàm perhibetur. Proindè ad conservandam eandem supplicant Status & Ordines, velit clementer Sua Majestas Sacratissima unam specialem Commissionem, usque ad proximè futuram Diætam ordinare, in qua pari numero Commissarii ex Regno Croatię & Sclavoniæ, ac Provincia Carniolica deputati, ejusmodi controversias, injurias, violentias, Oppidorum & Territorii occupationes, nec non militares defectus judicialiter determinare & effectuare, cum plena authoritate possint & valeant. In quo ex parte Regni nominantur Commissarii superiùs pro rectificandis metis ordinati, adjuncto etiam Illustrissimo Domino Comite Bano, hoc declarato, ut idem Dominus Comes Banus, tàm in locum sui, quàm aliorum, demortuorum, aut negitimè impeditorum, alios subrogare possit. Controversiam inter mercatores domesticos & extraneos in Civitate Varasdiensi exortam, & per Magistratum illius Civitatis judicialiter determinatam, eam à debita executione pendere solùm, ex eoque in præjudicium Magistratus ejusdem Civitatis ad aliud forum non deducendam cupiunt, sed executioni mancipandam, executionesque tales Magistratuum, ne mandatis Bellici Consilii, aut aliis insolitis, vel manu militari præpediantur, neve etiam in præjudicium & damnum Civium artes Mechanicas & educilla milites Germani ibidem existentes exercere, quoquo modo præsumant, imò in cunctis oneribus Civilibus, instar aliorum Civium & Incolarum Civitatis Magistratui subjecti, in militaribus verò suis Officialibus esse intelligantur.

Pro conservatione porrò Civitatum Crisiensis, Caproncensis & dictæ

dictæ Varasdiensis petunt demissè Articulum 93. Anni 1659. renovari & in effectum deduci, prouti respectum specificatum in Articulo 94. ejusdem Anni haberi, non solum Civitatum in eodem attactarum, sed etiam Civitatis Varasdiensis. His accedit etiam Articulus 95. Anni specificati, cui adjungunt extorsionem certæ Decimæ frugum in Gravamine mentionatam, per modernum Dominum Colonellum Caproncensem, Anno præcedenti extorqueri cæptam, quàm nullus unquam ex Dominis Colonellis antea intentasset, nisi, ut præmittitur, modernus Anno præcedenti & præsenti, pro cujus effectuatione humillimè postulant per Suam Majestatem Commissarios denominari, quos pari numero Supplicantes & instantes denominaturi sunt, juxta modum in Gravaminibus intimatum.

Et hæc erant, quæ ad benignam Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionem fideles Status & Ordines ex Gravaminibus suis recapitulanda, & eidem iteratò cum submissione proponenda habuerunt, demissè supplicantes, quatenùs dum juxta præscripta eorundem humillima postulata in Diplomate Regio, & positivis Patriæ Legibus fundata, nihil novi, vel aliquid injusti, nihilque dignitati Regiæ præjudiciosi, aut aliquid, quod alienum esset, supplicant, & penes fidelitatem Majestatis Vestræ Sacratissimæ ad extrema redacti, post DEUM, solâ in ejusdem Clementiâ, totam spem & fiduciam suam ponunt, pro eâdem ipsâ innatâ suâ Clementiâ, toti orbi Christiano deprædicatâ, nationi etiam Hungaricæ sese exorabilem reddere, delinquentibus parcere, huicque Regno suo Apostolico, de pristino flore vix umbram ampliùs habenti, & actu tot inimicarum nationum fideles Status & Ordines in Superiori Hungaria, cum actuali integrorum districtuum occupatione, sine aliqua resistentia persequentium hostilitati & prædæ exposito, pro Paterna sua pietate misereri, devotosque suos Status & Ordines, penes fidelitatem Vestræ Majestatis Sacratissimæ, in his etiam suis, & Patriæ extremitatibus vivere & mori paratos, & de facto ad Augustissimum Majestatis Vestræ Sacratissimæ Clementiæ Thronum humillimè provolutos, Paternô gratiarum Regiarum sinu amplecti, taliterque eosdem, unà cum modicis laceri sui Regni reliquiis, ad ulteriora fidelia sua servitia clementer conservare & obligare, atque hinc per benignam suam, ad demissa ipsorum postulata, dandam resolutionem, jam totalitèr sumptibus exhaustos, consolatos quantocyùs dimittere, hancque supplicem ipsorum instantiam, non alteri, quàm extremæ egestatis imperio causatæ necessitati, domesticorumque suorum periculis benignè adscribere dignetur. Ita ut dum hactenus penes privatas suas & particulares instantias, diversarum suarum oppressionum medelam obtinere non potuissent, in hoc Generali suo Conventu, cum æterna Majestatis

Digitized by Google

Vestræ Sacratissimæ Clementiæ memoriâ, suique & suorum consolatione; à tot & tantis sui oppressionibus, tandem aliquando pristinæ libertati, quasi postliminiò restitui mereantur, quod dùm per Clementissimam Majestatis Vestræ Sacratissimæ gratiam se obtenturos sperant, Eidem longævam vitam, diuturnumque & felix Gubernium, cum felicissimo rerum omnium, etiam contra omnes inimicos successum, concordibus votis apprecantur.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis
Domini Domini ipsorum Clementissimi:

humillimi ac perpetuò fideles Subditi
Universi Status & Ordines Regni Hungariæ, Partiumque Eidem annexarum, ad præsentem Generalem Regni Diætam convocati.

Sopronii Die 25. Octobr, Anno Domini 1681.

XXXI.

Resolutio Suæ Majestatis Sacratissimæ ad Replicam Statuum & Ordinum Regni Hungariæ factam.

Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus, ac Magnificis, Egregiis & Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis, universis Regni Hungariæ, & Parium Eidem annexarum Statibus ac Ordinibus, pro præsenti Generali ejusdem Regni Diæta, huc Sopronium convocatis, & præsentibus, assignandum:

(L. S.)

SAcratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Dominus noster Clementissimus, benignè intellexit, Dominorum Statuum & Ordinum, ad Clementissimam suam, super Gravaminibus eorundem datam resolutionem, porrectarum Replicarum seriem, ad quam etiam pro Paterna Regiaque sua erga hoc Regnum propensione, iteratò se resolvere dignata est, modo subsequenti.

Imprimis Sacratissima Cæsarea, Regiaque Majestas minimè dubitat, Inclytos Ordines & Status Regni, si suum clementissimum responsum penitus perpenderint, facilè agnituros, non alium Altissimè memo-

mo-

Digitized by Google

moratæ Cæsareę & Regiæ Majestatis fuisse animum, quàm suo responso dictos Ordines consolandi, & per hoc suam Paternam affectionem re ipsa contestandi: Prouti ejusdem, quoad Authoritatem Palatinalem, genuina & aperta mens etiamnum est, ut hujus ipsius Officii Status ac Authoritas, penes quemcunque Palatinum, salva & juxta Articulos desuper constitutos integra permaneat.

Et cum Gubernium sit extinctum, Sigilla etiam, tàm Gubernalia, quàm Locumtenentialia, ad manus Sacratissimæ Suæ Majestatis avocata fuerint, nihil superesse constat, quod eosdem in hoc puncto aggravare possit; Cum & Locumtenentiæ munus, & Archiepiscopalis authoritas ad suos Articulos, qui de eo tractant, sine derogamine illorum, quæ Palatini officio competunt, simpliciter remittatur: repetendo hic condignam gratiarum actionem Illustrissimo & Reverendissimo Domino Archi-Episcopo Strigoniensi pro laudabiliter administrata Locumtenentia, in priori benignissima resolutione factam.

Quò verò ad *Primum Punctum* Replicæ, sperasset Sua Majestas Cæsarea & Regia, Status & Ordines suis Clementissimis Resolutionibus acquieturos, veluti rationi & æquitati consentaneis, cum imprimis non videat, quid ulteriùs ratione pacis, cum Turcis Septendecim abhinc annis conclusæ, desiderari posit, quàm ejusdem facta communicatio; Cùm in Diæta novissima Posoniensi in Articulos Regni redigeretur, & postquam fuisset confecta, Viennæ in consessu Dominorum Consiliariorum, & Magnatum Hungarorum perlecta, Palatino defuncto semper præsente; Denique etiam Cancellariæ Hungaricę Aulicæ scriptotenùs exhibita: neque est intermissura Sua Majestas Sacratissima ejusmodi notificationes, in negotiis publicum Regni statum concernentibus, solitâ confidentiâ, sivè absens, sivè in Diæta præsens ulterius continuare, & etiam cum Consilio Hungarico, super gravibus occurrentiis, pro rei exigentia deliberare. Jussit etiam clementer Sua Majestas Sacratissima, si instrumentum Pacis novissimæ non esset ad manus, id ipsum etiam statim communicari debere.

Prouti similiter ratione Hungari, penes Residentem in Porta mansuri, judicat se Sua Majestas sufficienter declarasse, renovando Articulos in hoc Puncto antehac editos; Assecurando fideles Status & Ordines se totius Regni, eorumque securæ permansionis, curam exactam habituram neque defuturam commune necessitati: prouti hucusque omnem operam impendit, afflictum hujus Regni statum in pristinam tranquillitatem asserere, & Status atque Ordines, cum indigenis & Subditis, desideratæ quieti restituere; In eum prorsus finem Mandata hactenùs Residenti suo

in Porta Otthomannica data, missiones illuc, Budamque expeditas, & Consilia cum fidelibus Regni Hungariæ Consiliariis inita, unicè collimasse. Quare benignè speraret Eadem Sua Majestas, Status & Ordines confidentiæ locum daturos, neque intermissuros pro facultate sua, & summè dictę Suæ Majestatis Paternâ intentione tantò faciliùs assequenda, modernæ necessitati pro possibili convenientem assistentiam præstare.

In puncto autem deditionis à Turcis latiùs extensæ, inhæret Sua Majestas Sacratissima priori suæ resolutioni, & confiniis justo nativi militis numero aliisque requisitis necessariis clementer provideri curabit, Articulis superindè conditis in vigore suo permanentibus, signanter etiam illis, qui pœnas statuunt in eos, absque necessitate se Turcarum jugo submittentes.

Quoad insurrectionem universalem & particularem in casu necessitatis per Suam Majestatem cum Consilio Hungarico dignoscendæ, Articuli renoventur, cum declaratione benignâ; mentem & scopum fuisse Commissionis cum Consiliariis Hungaricis superindè instituendæ, ut in eadem cum Consilio Bellico conclusa, Statibus & Ordinibus à suis Deputatis referrentur, & indè factâ relatione Suæ Majestati, primò demandarentur executioni; Adeoque non videri, iisdem Statibus allegatum emergere potuisse præjudicium: Sua Majestas autem benignè confideret, fideles Status & Ordines præsens periculum benè consideraturos, & naturali erga Patriam, se, suosque amore, omnium aliorum Regnorum & Provinciarum exemplo, ipsaque æquitate, & gloriæ ad posteros propagandæ desiderio impulsos, pro malo tàm præsente, quàm futuro avertendo, propriis etiam viribus & subsidiis cooperaturos, juxtà Articulos pro bono publico, & incolumitate ipsorummet Statuum atque Subditorum, passim in Legibus Regni editos & conclusos.

Ad Secundum Punctum, Non intermittet Sua Cæsarea Regiaque Majestas, vigore prioris suæ resolutionis excessus militares seriò inhibere, & sedulò incumbere, ut refractarii condignâ afficiantur pœnâ, exprobrando & inhibendo militiæ Suæ Germanicæ licentiosas insolentias, quas non in terra hostili, veluti Status & Ordines conquererentur, sed Regno sibi plurimum charo, contra fideles suos Subditos exercerent.

Jussit præterea clementissimè Sua Majestas Sacratissima desideratas Patentes expediri, quibus mediantibus omnes hostilitates & extorsiones, aliæque violentiæ militares, sub gravissimâ pœnâ, denuò inhibeantur.

Mandabit quoque Eadem Sua Majestas suo Generali, Arces Privatorum, quibus ratio belli immunitatem Præsidii permittit, evacuare, omnique

que

que possibili sublevamine in particulari Status & Ordines, miserosque Subditos consolari.

Insuper præter modum hucusque inusitatum, concedit etiam Eadem Cæsarea & Regia Majestas, ut si Germanicæ militiæ Officiales pœnam excedentium negligerent, atque in delinquentes compertos non animadverterent, liceat Domino Palatino ejusmodi Officiales pro administranda Justitia admonere, qui si adhuc in eadem administranda se tardiores sivè negligentiores exhiberent, contra tales minoris gradus & Ordinis reos, servatis de Jure militari servandis, Germanicis etiam Officialibus cum Hungaricis Assessoribus pro tali Judicio adhibitis, processum instituere: hoc tamen per expressum declarato, ut in Causis gravioribus, sanguinis nimirum, aliisque pœnis infligendis, præviâ ad Suam Majestatem Cæsaream & Regiam fiat relatio, & expectetur resolutio; omni executione interim in suspenso permanente: Officiales autem majores immediatè Suæ Majestati & Consilio Bellico subsint.

Dispositio verò Præsidiorum & militiæ hinc indè proficiscentis ordinatio, maneat penes Dominum Generalem bello motuque durante, & deputentur Commissarii pro condescensionibus necessariis, quorum dispositionibus milites se accommodare tenebuntur.

Ratione vectigalium militiæ prohibitorum, inhæret Sua Majestas Cæsarea priori suæ resolutioni, utpotè quæ vigore ejusdem tolli curabit.

Quantum ad *Tertium Punctum* attinet, observentur Articuli, & nominatim 25. & 27. Anni 1546. de processu contra Nobiles instituendo conditi, neque Commissiones & Delegationes minùs necessariæ contra partium voluntatem expediantur. Reversales, Fidejussionales, Contractuales & Bonorum Cessionales, si per Suæ Majestatis Officiales vel Commissarios, privatâ authoritate, & injustè extortas fuisse probatum fuerit, præviâ causæ cognitione per Commissarios à Suâ Majestate penes Dominum Palatinum ad hoc Deputandos instituenda cassari & ejusmodi Officiales puniri faciet altissimè titulata Sua Majestas Sacratissima, & æquum præterea censet, ut Fiscus Regius in occupandis bonis, secundùm Leges Regni procedat.

Maneat porrò firma resolutio, de Exulibus resipiscentibus & redituris, intra duos menses post præsentem Diætam, si qui etiam ex iis, qui hactenùs in Regiam Gratiam recepti fuere, ex mente & benignâ resolutione Suæ Majestatis, plenam ac gratuitam restitutionem haud obtinuissent, talibus concessæ gratiæ suos effectus omninò tribuetur.

Dispositio pro tempore de Comite Georgio Illyeshazy, ob gravissimas ipsiusque Regni utilitatem respicientes causas, justè facta & ab eo-

Digitized by Google

dem cum humilima gratiarum actione acceptata fuit: ne tamen defectum mediorum ad sui sustentationem propter absentiam à bonis suis Hungaricis justè allegare possit, Sacratissima Sua Majestas ob innatam clementiam ulteriùs benignè providebit: nec non de cœtero Inclytorum Statuum intercessionis, quàm primum Publica Regni commoda hoc admittent, rationem habebit.

Quod si de atrocissimo crimine læsæ Majestatis convictorum hæredes Gratiam Suæ Cæsareæ Regiæque Majestatis imploraverint, polliceri sibi poterunt, non se frustrà supplicaturos, sed Altissimè memoratam Suam Majestatem innatæ Suæ benignitatis memorem futuram esse.

Sabariensium & Meszlenienſium Gravamen, in præsenti adhuc Diæta per amicabilem Commissionem complanetur, sin minùs Sacratissimæ Suæ Majestati ab iis ipsis Commissariis ad tractandam Transactionem deputandis, cum additione suæ opinionis, pro ulteriori determinatione referatur.

Orsegiensium etiam, & illorum Gravamina, qui contra Officiales Ovarienses querulantur, modo in Suæ Majestatis clementissimis responsis expresso, determinentur: non admissura, ut si præcedentes Possessores dicti Dominii in Possessione Juris gladii non fuerint, illis, qui desuper querulantur, ullum ab Officialibus Cameræ fiat præjudicium.

Ad Quartum porrò *Punctum*. Sacratissima Sua Cæsarea Regiaque Majestas priori suæ circa totalem sublationem Repartitionis & Accisarum clementer emanatæ resolutioni etiamnum inhæreret, & ubi locorum fors adhuc vigerent, aut exigerentur, unà cum restantiis & aliis, si quæ præfuissent, ejusmodi exactionibus actualitèr & omninò tollendas, atque cassandas esse perbenignè declaret; sed nec mentem ejusdem Majestatis Suę, Dominorumque Regni Magnatum, in Anno 1678. Viennæ præsentium & congregatorum hanc fuisse, ut Inclyti Status aggravarentur, quin potiùs, ut circa præmentionatam Repartitionem & Accisas, per limitationem eorum factam, allevientur, quâ jam sublatâ, non superesset amplius in eo controversia, nullumque præjudicium iisdem Regni Statibus exindè per consequentiam ullo titulo metuendum esse, vigoremque literarum superindè datarum evanuisse. Hinc etiam Sua Majestas allegatum Articulum 1. Regis Uladislai Decret. 5. clementèr confirmaret. In reliquo (ubi in aliis istius Regni Diætis cum laude factum) ita paritèr de præsenti benignè quoque non ambigeret Sua Majestas, eosdem Status & Ordines pro communi Patriæ salute, partibus suis haud defuturos, desideratumque subsidium, ad minùs annonarium, pro sustentatione militis, solitasque Dicas & Taxas (id ipsum moderna publica majori quàm

quàm antea necessitate sic exigente) secundum Articulos in prioribus Diætis passim comprehensos, & vel maximè Articulum 6. ac 8. Anni 1659: glorioso Prædecessorum suorum exemplo ductos, promptis vicissim animis administraturos, proportionalique limitationi frumenti, siliginis & Avenæ, nec non aliorum victualium, juxta Regni Leges & dignitatem, pro locorum & temporum circumstantiis constituendæ, nullatenùs contrariaturos, sed eandem tolerabilem limitationem, pro commeatu & annonâ justo pretio comparandâ, ultroneè, sponte suâ admissuros, cùm etiam apprimè noverint, impossibile omninò esse, ut hi sumptus immensi à Suâ Majestate Sacratissimâ, vel aliis ejusdem Regnis & Provinciis hæreditariis duntaxat pendantur, & tàm possibilitati, quàm æquitati repugnaret, ut tantum onus soli Suæ Majestatis ærario imponeretur.

Ad incommodâ verò ex disparitate & inæqualitate mensurarum tollenda, renovandum Articulum 31. Anni 1655. & ut effectui mancipetur, Commissionem Domino Regni Palatino superinde dandam, pœnamque futuræ confiscationis in contravenientes annectendam ac exequendam, sæpedicta Sacratissima Sua Cæsarea Regiaque Majestas benignè censeret.

Ad Quintum porrò Replicæ *Punctum*: Pro Confiniorum tàm antiquorum conservatione, quàm dirutorum reparatione, nativique militis in iisdem constituti, & ulteriùs adaugendi, condignâ quoque solutione Commissionem & deliberationem hac finitâ Diętâ, cum certis Inclytorum Statuum & ordinum Commissariis ad hunc Tractatum Deputandis, & Bellico Consilio, Camerisque quantocyùs instituendam, omninò necessariam esse Sua Majestas Sacratissima iteratò benignè judicaret: nec intermittet ad eorundem Confiniorum Provisionem, ex propriis suis & vicinarum Provinciarum mediis ulteriùs quoque succurrere: prætereaque subsidia & auxilia externa (si quæ speranda) per ministros suos in Imperio Romano simul ac in Aula Pontificia & Regia Hispanica de facto præsentes, absque novarum earundemque supervacanearum expensarum profusione, congruis modis requirere: quæ siquidem auxilia valdè remota essent, & incerta, non dubitaret Sua Majestas Sacratissima, quin (ut antememoratum & practicatum præ repetiti Inclyti Status & ordines ac tactum in finem ex parte quoque sua pręter oblatam mediam istius Regni Tricesimam, quàm animo grato Sua Majestas acceptaret, adhuc ulteriori subsidio quodam pro viribus sint concursuri.

Insuper annuit toties fata Sua Majestas Sacratissima, ut rationes de perceptis ac erogatis mediæ Tricesimæ proventibus, & aliis pro subsidio militari hactenùs ordinatis, sicut & de laboribus gratuitis, ac ejusmodi proventuum restantiis (quarum utpotè resultantiæ, pro mentionatis

Con-

Digitized by Google

Confiniis applicandæ forent) denominatis, vel ut parcatur sumptibus minori quodam numero constituendis revisoribus exhibeantur: & Viduæ Paludgyianæ residui mille Talleri Imperiales ad Suam Majestatem Cæsaream alioquin immediatè spectantes, propter ejus inopiam relaxentur.

De laboribus verò gratuitis in futurum exigendis, confirmantur Articuli desuper in Annis prioribus emanati, & limitatio superindè facta.

Deindè Comitatus & Civitates ratione vecturæ & munitionum, atque annonæ ultrà solitum usum ac ordinem, & Articulos hac in parte conditos non aggravandos: Portarum verò connumerationem & rectificationem Generalem in toto Regno, quo fieri potest minimo sumptu Sua Majestas benignè statuit, consueto more propediem instituendam esse, excessusque militares seriò puniendos, Consilio suo Bellico clementissimè demandavit, ac Inquisitiones authenticas contra Capitaneos Confiniorum in similibus de Lege Regni institui posse: nec iisdem in Judicio debitam fidem haberi debere. Ratione verò Gravaminis contra Magnificum Stephanum Kohary moti, si quid per eundem ex mandato Suæ Majestatis aut Generalium actum esset, ejusmodi Judicatui seu discussioni nullatenùs subjiciendum.

Cæterùm quod Gravamina contra Successores Rakoczianos, & modernam Principissam, cùm illæ querelę privatæ saltèm esse supponerentur, ad viam Juris ordinariam abhinc relegandæ, & auditis utrinque Partibus, secundùm Leges ac Justitiam dijudicandæ decernuntur: utque pariter ratione illorum, quæ vel ipsa, vel defuncta Domina Principissa ex mandato Suæ Majestatis & Generalium peregisset, in Judicium non vocetur, nec damnum aliquod patiatur.

Ad Sextum Refert se sua Cæsarea & Regia Majestas, ad peculiarem suam iteratam benignam hoc in Puncto fidelibus suis Romano-Catholicis, & Augustanæ ac Helveticæ Confessioni addictis Statibus & Ordinibus datam resolutionem.

Ad Septimum Punctum. Quoad correspondentiam inter Cameram Aulicam & Hungaricam, absque hujus dependentia more antiquo observandam, Sua Cæsarea Regiaque Majestas se refert ad suam benignissimam eatenùs jam emanatam resolutionem: Quò verò ad Personam Præsidis, nec summam Suæ Majestatis authoritatem, neque commoda Regni, nec vitam dicti Præsidis innoxiam, & administrationem Ærarii, tàm innocentèr hucusque gestam, pro hac vice, temporeque moderno petitam hanc mutationem & amotionem admittere: in prima tamen affutura istius Officii vacantia, prærepetita Sua Majestas condignam Legum per

Incly-

Digitized by Google

Inclytos Status citatarum, & in hacce Diæta renovandarum, cum substitutione secularis Cameræ Præsidis clementer est habitura rationem, nec admissura, ut aut modernus Thesaurarius, aut ejusdem Successores, in ullam segubernationis partem, seu quibuslibet negotiis FiscoRegio, & Officio suo de Lege ac consuetudine Regni non incumbentibus incompetentèr immisceant, & exindè fidelibus Suæ Majestatis ulterior querulandi ansa præbeatur.

Præterea cum Hungaricæ Cameræ Vice-Præfectus è Regno & exercitio Officii sui jam excessisset: institutam adversus Administrationem Cassoviensem Baronem à Walszek inquisitionem,& utriusque Cameræ restrictionem, quamprimùm etiam promovendam esse, quo facto Sua Majestas,quòd juxta Leges & utilitatem Fisci Regii fore videbitur,absque longiori mora determinatè resolvere possit. Interim autem cum præter negotia CameræScepusiensis tota res annonaria & solutio Bellica præfato Baroni à Walszek incumberet, ad prævertendas confusiones & damna complurima per ejus absentiam emergenda, de congruo remedio Sacratissima Sua Majestas benignissimè providebit,quò videlicet quàm proximè ad Processum etiam contra eundem institutum, tantò citiùs expediendum ab inde Viennam ocyùs avocari valeat.

Circa Bonorum restitutionem, eadem Sua Majestas priori suæ quoque resolutioni ad Punctum Tertium supra fusiùs declaratæ inhæreret, atque clementèr declararet,bonorum tàm mobilium,quàm immobilium occupationes, ex Jure Regio semper juxtà Legum tenorem & legitimum usum geri debere.

Cœterùm quoad Bona per nonnullos Officiales Cameraticos, uti perhiberetur, in proprios usus illicitè distracta (si criminis hujusce rei, sivè confessi,convictivè comperientur) haud duntaxat ad satisfactionem interessatis damnificatis impertiendam,eosdem per Cameras seriò compellendos, sed insuper etiam pro merito puniendos esse.

Quoad Magistratuum Civilem in Liberis Montanisque Civitatibus restaurationem,& liberam electionem in ea secundùm Articulos superinde sancitos & renovandos, ac observantiam usu firmatam & Privilegia procedatur, nec Cameræ aliter, quàm ex mandato Suæ Majestatis Commissarios suos, ad similes electiones deputare licebit: Ausus autem universi per largitiones aut extorsiones illicitas,nocivasque sumptuum causationes introducti simpliciter pro futuro tollantur:& excessus ejusmodi per quospiam Cameraticos,ne fortè prioribus annis patrati,præter restitutionem damnificatis, præviâ causæ cognitione jure merito dandam, severè puniantur.

U Præ

Digitized by Google

Confiniis applicandæ forent) denominatis, vel ut parcatur sumptibus minori quodam numero constituendis revisoribus exhibeantur: & Viduæ Paludgyianæ residui mille Talleri Imperiales ad Suam Majestatem Cæsaream alioquin immediatè spectantes, propter ejus inopiam relaxentur.

De laboribus verò gratuitis in futurum exigendis, confirmantur Articuli desuper in Annis prioribus emanati, & limitatio superindè facta.

Deindè Comitatus & Civitates ratione vecturæ & munitionum, atque annonæ ultrà solitum usum ac ordinem, & Articulos hac in parte conditos non aggravandos: Portarum verò connumerationem & rectificationem Generalem in toto Regno, quo fieri potest minimo sumptu Sua Majestas benignè statuit, consueto more propediem instituendam esse, excessusque militares seriò puniendos, Consilio suo Bellico clementissimè demandavit, ac Inquisitiones authenticas contra Capitaneos Confiniorum in similibus de Lege Regni institui posse: nec iisdem in Judicio debitam fidem haberi debere. Ratione verò Gravaminis contra Magnificum Stephanum Kohary moti, si quid per eundem ex mandato Suæ Majestatis aut Generalium actum esset, ejusmodi Judicatui seu discussioni nullatenùs subjiciendum.

Cœterùm quod Gravamina contra Successores Rakoczianos, & modernam Principissam, cùm illæ querelę privatæ saltèm esse supponerentur, ad viam Juris ordinariam abhinc relegandæ, & auditis utrinque Partibus, secundùm Leges ac Justitiam dijudicandæ decernuntur: utque pariter ratione illorum, quæ vel ipsa, vel defuncta Domina Principissa ex mandato Suæ Majestatis & Generalium peregisset, in Judicium non vocetur, nec damnum aliquod patiatur.

Ad Sextum Refert se sua Cæsarea & Regia Majestas, ad peculiarem suam iteratam benignam hoc in Puncto fidelibus suis Romano-Catholicis, & Augustanæ ac Helveticæ Confessioni addictis Statibus & Ordinibus datam resolutionem.

Ad Septimum Punctum. Quoad correspondentiam inter Cameram Aulicam & Hungaricam, absque hujus dependentia more antiquo observandam, Sua Cæsarea Regiaque Majestas se refert ad suam benignissimam eatenùs jam emanatam resolutionem: Quò verò ad Personam Præsidis, nec summam Suæ Majestatis authoritatem, neque commoda Regni, nec vitam dicti Præsidis innoxiam, & administrationem Ærarii, tàm innocentèr hucusque gestam, pro hac vice, temporeque moderno petitam hanc mutationem & amotionem admittere: in prima tamen affutura istius Officii vacantia, prærepetita Sua Majestas condignam Legum per Incly-

Digitized by Google

Inclytos Status citatarum, & in hacce Diæta renovandarum, cum substitutione secularis Cameræ Præsidis clementer est habitura rationem, nec admissura, ut aut modernus Thesaurarius, aut ejusdem Successores, in ullam se gubernationis partem, seu quibuslibet negotiis FiscoRegio, & Officio suo de Lege ac consuetudine Regni non incumbentibus incompetentèr immisceant, & exindè fidelibus Suæ Majestatis ulterior querulandi ansa præbeatur.

Præterea cum Hungaricæ CameræVice-Præfectus è Regno & exercitio Officii sui jam excessisset: institutam adversus Administrationem Cassoviensem Baronem à Walszek inquisitionem,& utriusque Cameræ restrictionem, quamprimùm etiam promovendam esse, quo facto Sua Majestas,quòd juxta Leges & utilitatem Fisci Regii fore videbitur,absque longiori mora determinatè resolvere possit. Interim autem cum præter negotia CameræScepusiensis tota res annonaria & solutio Bellica præfato Baroni à Walszek incumberet, ad prævertendas confusiones & damna complurima per ejus absentiam emergenda, de congruo remedio Sacratissima Sua Majestas benignissimè providebit,quò videlicet quàm proximè ad Processum etiam contra eundem institutum, tantò citiùs expediendum ab inde Viennam ocyùs avocari valeat.

Circa Bonorum restitutionem, eadem Sua Majestas priori suæ quoque resolutioni ad Punctum Tertium supra fusiùs declaratæ inhæreret, atque clementèr declararet,bonorum tàm mobilium,quàm immobilium occupationes,ex Jure Regio semper juxtà Legum tenorem & legitimum usum geri debere.

Cæterùm quoad Bona per nonnullos Officiales Cameraticos, uti perhiberetur, in proprios usus illicitè distracta (si criminis hujusce rei, sivè confessi,convictivè comperientur) haud duntaxat ad satisfactionem interessatis damnificatis impertiendam,eosdem per Cameras seriò compellendos, sed insuper etiam pro merito puniendos esse.

Quoad Magistratuum Civilem in Liberis Montanisque Civitatibus restaurationem,&liberam electionem in ea secundùm Articulos superinde sancitos& renovandos, ac observantiam usu firmatam & Privilegia procedatur, nec Cameræ aliter, quàm ex mandato Suæ Majestatis Commissarios suos, ad similes electiones deputare licebit: Ausus autem universi per largitiones aut extorsiones illicitas, nocivasque sumptuum causationes introducti simpliciter pro futuro tollantur:& excessus ejusmodi per quospiam Cameraticos,ne fortè prioribus annis patrati,præter restitutionem damnificatis, præviâ causæ cognitione jure merito dandam, severè puniantur.

Digitized by Google

Præterea maneant seu confirmentur Articuli super prærogativis Nobilitaribus, prout etiam è converso Liberarum ac Montanarum Civitatum Privilegiis & Juribus, per quoscunque nullo modo turbandis aut impediendis; ac ad Oppida quoque Privilegiata & exempta eorundemque Dominos Terrestres extendantur, & exactè observentur.

Excessus item Tricesimatorum, Decimatorum & Teloniatorum, in Officiis suis prætensivè commissi, & ne fors posthac committendi, primò quidem per Cameram dignoscantur & remedientur: sin minùs autem, & in neglectu Justitiæ, jure conveniri queant, Articulis ratione Tricesimarum & Decimarum editis hoc loci denuò confirmatis: Quod & circà nominatos in Replica Tricesimatores Wimpaszienfem & Jaurienfem pariter observandum esse: Jamque Sacratissima Sua Majestas Hungaricæ Cameræ firmiter ac seriò commisit & demandavit, ut omnes & singulos ejusmodi abusus, qualitercunque introductos, cum vectigalium tàm Regiorum, quàm Telonialium instituenda rectificatione omninò tollat, & vectigal Regium positivasque Regni Leges superindè sancitas exactiùs observari curet: nec in Judicatu suo Camerali, ultra sibi competentem eatenùs in Legibus & Articulis Regni facultatem, ritumque usu debito roboratum excedere præsumat.

Ratione Obsidum Nagy-Banyiensium eliberationis, Teloniorumque siccorum, ac Judæorum ab iisdem tàm in Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ, quàm Hungariæ Regnis amovendorum, Sacratissima Sua Majestas demissæ Statuum & Ordinum Instantiæ clementissimè se conformat, prouti quoque circa petitam literarum & literalium instrumentorum bona restituenda, vel jam restituta tangentium, effectivam restitutionem; Annexam in eo Clausulam perbenignè declarando: Nisi forsan per Contractum & Transactionem alia specialis obligatio, vel ratio in præmissis non sublata, aut nondum adimpleta subverSaretur; & ut de receptis quietantiæ seu recognitionales extradentur.

Denique salarium, aut expensas diurnales Tabulæ Judiciariæ Regiæ Judicibus in Diætis, alioquin ultra tempus bimestre non extendi solitis, juxta Suæ Majestatis resolutionem jam emanatam, posthac etiam in hac & aliis Diætis, Causarumque revisionibus, in quantum mos & consuetudo antiqua, tàm ratione temporis, quàm aliarum circumstantiarum, secundùm Leges dictarent, statis temporibus assignandas, & exsolvendas, sæpedicta Sua Majestas Cæsarea & Regia Clementer decernit, inque locum demortuorum ejusmodi Regni Judicium alios juxta longævum ordinem dictarumque Legum dispositionem vicissim pro futuro quoque creandos & surrogandos esse.

Digitized by Google

Ad Octavum. Ut rectificatio metarum ubivis locorum, quæ cum Inclyto hoc Regno conterminant, per Commissarios hinc & indè deputatos & deputandos, atque proximè à parte Provinciarum hæreditariarum denominandos omni studio promoveatur, Sacratissima Sua Majestas Paternè invigilabit. Quo etiam referendæ quædam illæ speciales Controversię, sub Paragraphis: *Et quia circa &c.* Item *Quod verò &c.* comprehensæ. Ut autem inter Inclytum Regnum Hungariæ, & Provinciam Austriacam commerciorum usus antiquo observatus accuratè colatur utriusque conducit utilitati & emolumentis, verùm grave & querelis plenum futurum esset negotium, si Sacratissima Sua Majestas circa statum Austriacorum præviam informationem illimitatè, vinorum Hungaricorum inductioni annueret; idcircò benignissimo ejus responso interea esset acquiescendum, & commissio desuper instituenda.
Salvi & repetiti sint Articuli super reluitione Arcis Lublyo & Tredecim Oppidorum in diversis Comitiis editis.

Orientalis Societatis homines super excessibus eis objectis in afferendo sibi Jure præemptionis audientur, & quod iniquum reperietur, inhibebitur.

Ad Nonum. Sacratissima Sua Majestas in collationibus Officiorum secularium & Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ posthac vocabunt, considerando Articulos desuper conditos dignam nationalium habebit rationem.

Quem in locum autem Residentia Generalatus Partium TransDanubiarum sit collocanda, dispiciendum utique ex Judicio & ratione Bellica; quare Sua Majestas jam in commissis dedit suo Consilio Bellico, ut cum Domino Palatino hâc super re ineat modum, ut ipsi existimabunt proximè: neque abnuit eadem Sua Majestas, quin Possessio Parucza reædificetur, & Præsidium Nitriense muro circumdetur; prouti Domino Palatino de mediis ad hujus effectuationem disquirendis jam mandatum fuisset.

Ad Decimum. Quandoquidem præcipua muneris Regii pars in Administratione Justitiæ versatur; ideoque Suæ Majestati etiam non imploratę incumbere dignoscitur, ut ei restaurandæ sollicitè intendat: Eapropter in priori suo benignissimo responso, suo Paterno consilio firmiter persistit, ut ordinatio quædam Judicialis propediem concinnetur, & inibi ordo Judiciarius variè sparsus, contrariantibus sibi invicem sæpè Articulis, in compendium, & sub unum quasi aspectum redigatur; Interea invalescenti per Regnum usurariæ pravitati obvietur, neque usura, sive, ut vulgò ajunt, Interesse, ultra in Constitutione mutui Sex pro Centum

Digitized by Google

florenis, fortis sivè Capitalis sub pœna ejusdem amittendi extendatur: quod ipsum etiam intelligendum de excessu Contractuum sivè Vinculorum.

Et quia Status & Ordines septem illas, in suæ humillimæ Replicę hoc Puncto Decimo positas provisiones Justitiæ administrandæ proficuas fore censent: Idcircò Sacratissima Sua Majestas earundem observationem interea, donec aliud ex re & utilitate Regni visum fuerit, clementissimè confirmat; brevi denominatura novum Judicem Curiæ, seque præterea declaratura, an idem in Superiori Hungaria cum Protonotario constanter residere debeat: Ubi verò de promulgandis Judiciis agitur, Dominus Palatinus in Regno Hungariæ, & Comes Banus in Partibus ei annexis istorum promulgationem absente Rege semper cum ejusdem præscitu & assensu instituant.

Ad Undecimum. Manet ratione futuræ Diętę benignissimum responsum: neque displicet Sużę Majestati, eandem intra Annum à finita præsenti Diæta indicere, & actualiter inchoare, nisi ab aliis Christianæ Reipublicæ gravissimis negotiis impediatur.

Consentit pariter Sua Sacratissima Majestas ad Paragraphum: Atque cum id &c. ut posthac unus Ablegatus cujuscunque Conditionis sit, non nisi duorum Magnatum pauperiorum, vel viduarum Legationes in se assumere possit.

Ad Duodecimum. Quoad Amnistiam & restitutionem Exulantium Sua Sacratissima Majestas se denuò refert ad Articulum, sivè numerum tertium, cui, sicuti omnibus aliis, quæ superiùs expressa, per Amnistiam hanc universalem nil derogatum esse censeatur.

Quod si in præmissa ita benignissima resolutione aliquid prætermissum esset, quod Inclyti Regni Status & Ordines in sua humillima Replica speciatim tetigissent; Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas illud ad primum Clementissimum suum responsum, inhærendo priori resolutioni, remittit.

Ulterior benignissima Responsio ad Statuum & Ordinum Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Replicam.

A*D Primum.* Maneat nupera Sacratissimæ Suæ Majestatis benignissima responsio, inprimis verò Articuli conditi de insurrectionibus dictorum Regnorum. Satagçt insuper Sua Majestas, ut miles Banalis exauctoratus pro possibili restauretur, & munitionis bellicæ à Camera Hungarica provisio fiat.

Ad

Ad Secundum. Curabit Sua Majeſtas, ut Commiſſio Valachica, ſine ullâ dilatione in effectum deducatur.

Ad Quartum. Informari ſe faciet etiam Sua Majeſtas de iis Valachis, qui ad Confiniarum Jurisdictionem ſpectant, neque ratione talium permittet, ut ab antiqua Conſuetudine recedatur.

Ad Quintum. Effectuari faciet Sua Majeſtas citatum Articulum 92. Anni 1659.

Ad Sextum. Non diſplicet Sacratiſſimæ Suæ Majeſtati, ut ratione Subditorum fugitivorum incurratur pœna quingentorum florenorum, quæ tamen absque cauſæ prævia cognitione non committatur.

Ad Octavum. Cùm difficultas hujus petiti in eo vertatur, quòd Status Auſtriaci ex ſuo ære ſolvant ſtipendia, ideoque cautè in hoc procedendum ſit, ne ejusmodi ſolutionem difficultandi anſa præbeatur: Idcircò judicaret Sacratiſſima Sua Majeſtas Ordines & Status Inclytorum Regnorum reſolutioni ejus nuper datæ facilè acquieturos eſſe.

Ad Undecimum, Duodecimum, Decimum Tertium & Decimum Quartum. Manet benigniſſima Suæ Majeſtatis reſponſio pro petitione Inclytorum Ordinum, ſine cunctatione effectuanda.

Ad Decimum Sextum. Injuriis Confiniariorum Officialium omninò præcaveri vult Sacratiſſima Sua Majeſtas, placetque, ut ratione educilli obſerventur Articuli, & uſus eosdem explicans.

Ad Decimum Nonum. Non eſſe alienam Suam Majeſtatem, ut ſpecialis Commiſſio inſtituatur, ratione controverſiarum Szegnienſium, & ad hanc obeundam adhibeantur ordinati utrinque, pro rectificandis metis, modalitate in hoc puncto expreſſa. Quæ denique ſubnectuntur de Civitatibus Varasdienſi, Crifienſi & Capronczenſi, prouti in reliquis Punctis ſpeciatim hic non numeratis, benigniſſima priora reſponſa Suæ Majeſtatis permaneant.

Et cùm hæc Sacratiſſimæ Suæ Majeſtatis benigniſſima reſolutio, in hac prima, poſt tot diſturbia in Regno hactenùs continuata, feliciter reinchoatâ Diætâ ſufficiens eſſe videatur, & redditâ Inclyto Regno totali tranquillitate, quo Status & Ordines omni operâ collaboraturos eſſe confidit, reliqua Regni ſalutaria, in proximè futura Diætâ de facili expediri poſſint; Eadem Sua Majeſtas Sacratiſſima clementiſſimè ſperat, nullam ampliùs nunc moram, aut ulteriùs diſceptandi cauſam ſuperfuturam eſſe, cur hyeme jam ingruente, peſtilentia etiam in vicinis locis gliſcente, diutiùs cum univerſorum incommoditate hic ſubſiſtere opus ſit, ſed Sacratisſima Sua Majeſtas potiùs ad alia Romani Imperii, ſuarumque aliarum Provinciarum graviſſima negotia peragenda, iſthinc digredi, nec

Digitized by Google

non Inclyti Regni Status & Ordines ad sua redire possint. Quibus universis & singulis in reliquo Cæsaream ac Regiam Suam benignitatem Clementissimè confirmat,

Per Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem, Sopronii Die 9. Mensis Novembris, Anno 1681.

Johannes Maholany Mppr.

XXXI.

Resolutio Suæ Majestatis Sacratissimæ in negotio Religionis, Statibus & Ordinibus Regni Hungariæ impertita.

Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus, ac Magnificis, Egregiis & Nobilibus, Prudentibus item ac Circumspectis, Universis Regni Hungariæ, & Partium Eidem annexarum, tàm Romano-Catholicis, quàm verò Augustanæ & Helveticæ Confessioni addictis Statibus & Ordinibus, in præsenti Generali Regni Diætâ constitutis & existentibus, assignandum. (L.S.)

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis nomine, Universis Fidelibus Regni Hungariæ Romano-Catholicis, & Augustanæ ac Helveticæ Confessioni addictis Statibus & Ordinibus, in hâc Generali ejusdem Regni Diætâ congregatis & existentibus pro ulteriori benigna Cæsarea & Regia resolutione, hisce significandum.

Cùm Sua Cæsarea & Regia Majestas Inclytis Regni Hungariæ Ordinibus ad Sextum suorum Gravaminum Articulum, super humillimis omnium Statuum instantiis, ultra declarationem, quam Ipsa Augustanæ & Helveticæ Religioni addictis singulariter jam exhibitam clementissimè responderit, se in negotio Religionis finaliter determinaturam; qualis Libertas & exercitium in memorato Religionis negotio in futurum sit concedendum; Idcircò altissimè memorata Cæsarea & Regia Majestas se sequenti modo declarat, simulque determinat, scilicet:

Primò. Pacificatio Viennensis in totum, & maximè in primo Articulo, utramque Religionem concernente, in omnibus repetitur & confirmatur.

Secundò. In supplementum dictæ Pacificationis omnes & singuli Sta-

Status ac Ordines non solùm Romano-Catholici, sed etiam Confessioni Augustanæ vel Helveticæ addicti, sive sint Magnates & Nobiles, sive liberarum Civitatum Indigenæ, Oppida etiam Privilegiata ad Coronam spectantia, pariter milites & Regnicolæ in Confiniis Commorantes, in illa, quam modò profitentur, religione, sine omni turbatione permaneant, nec non in transgressores sublato Religionum supradictarum discrimine severè animadvertatur.

Tertiò. Neque addicti Augustanæ & Helveticæ Religioni ad alias suæ Religioni contrarias ceremonias peragendas, semoto tamen publico scandalo, compellantur.

Quartò. Ultra Libertatem hanc dictis Augustanæ & Helveticæ Religionis sequacibus, concessum sit insuper suæ Religionis exercitium & usus, salvô tamen in his Jure Dominorum Terrestrium in Dominiis & Bonis præcisè Catholicos concernentibus; Et econtrà Augustanæ & Helveticæ Confessioni addictos respicientibus; In aliis verò mixtis & per utriusque Religionis Dominos comportionaliter possessis, pro illis, qui de præsenti ibidem in usu & actuali possessione templorum essent, permanente, & integrô relictô.

Quintò. In locis etiam, ubi liberum exercitium Religionis concessum, non liceat ex causa Religionis Pastores & Parochos Ecclesiarum amovere, pellere aut turbare.

Sextò. Nullæ etiam ultra occupationes templorum fiant.

Septimò. Propter bonum pacis & tranquillitatem Publicam, ne Regnicolæ penè infinitis litigiis, templorum aut Ecclesiarum causâ implicentur; illa templa aut Ecclesiæ, nec non etiam reditus, aut proventus ad eas pertinentes, si hæc ab initio Anni 1670. hucusque occupata fuissent, possessoribus permaneant.

Octavò. Posoniensibus Augustanæ Confessioni addictis, liceat ædificare suis sumptibus templum unum, in loco commodo, nempè in suburbio à Suâ Cæsareâ & Regiâ Majestate designando.

Nonò. Civitas Sopronienſis maneat in possessione & exercitio suæ Religionis, quam modò profitetur, nec in hoc turbetur.

Decimò Quoad reliquas Liberas Civitates à Sua Cæsareâ Regiaque Majestate similiter loca pro ædificando templo, prævio modo designanda, clementissimè indulgentur, in Civitatibus Cis-& ultra-Danubianis, utpotè, Trenchiniensi, Cremniczensi & Novizoliensi. In Superiori Hungaria, Bartphensi, Leutchoviensi, Epperiensi, Cassoviensi, & Nagy Banya.

Undecimò. In Comitatibus porrò Helveticæ aut Augustanæ Confessi-

Digitized by Google

fessioni addictis sequentia observentur; scilicet: In Comitatu Castriferrei, pro illis, qui Augustanam Confessionem sequuntur, in Dömölk, & Nemes Csò; pro Helveticæ verò Confessionis Incolis, in Felsö Ör. Demùm in Comitatu Soproniensi, in Vados falva, & Nemeskér; In Posoniensi, in Réthe, & Puszta Fedimes. In Nitriensi, in Nitra Szerdahely, & Strasa, penes Vaghum. In Barsiensi, in Simony & Szelesin. In Zoliensi, in Osztroluga & Garanczek; In Turoczfiensi, Nedczpal & Ivankafalva. In Lyptoviensi, in Hibe & Nagy Palugya. In Arvensi, in Felsö Cubiny & Isztebnye. In Trenchiniensi, in Szulov & Zayugrocz. In Scepusiensi, in Gérgö & Toporcz vel Batisfalva. In Sàarossiensi, in Keczer Peklin & Farcza; Pro Helveticæ autem Confessioni addictis, in Tot Selmes & Balpataka. In Szaladiensi, siquidem, Veszprimiensi, Jauriensi, Commaromiensi, Abbaujvariensi, Unghensi, Bereghiensi, Szolnok & Hevessiensi, Pest & Pilissiensi, Szabolcsensi, Szakmariensi, Zempliniensi, & de Ugocsa, ac Honthensi Comitatibus, de præsenti essent in usu. Tandem in Confiniis etiam Regni, & quidem in Generalatu contra Canisam in Egerszegh, & Szent Grott. In Generalatu Jauriensi, in Tihany, Vasony, Papa, Veszprim, Jaurini & Commaromii. In Generalatu Antemontano, Levæ, Carponæ & Fülekini. In Generalatu superioris Hungariæ, in Putnok, Onod, Szendröet Tokay. Trans Tybiscum in Kalo & Szatthmar.

Duodecimò. Permissum etiam sit Magnatibus & Nobilibus, qui vel Augustanam Helveticam Religionem profitentur, & in suis Arcibus habitant, Oratoria & Sacella, pro exercitio suæ Religionis erigere.

Decimo tertiò. Cùm Romano-Catholicis meritò sit, aut esse debeat, in universo Regno liberum suæ Religionis exercitium & usus, ideò hi nullo modo, aut tempore, nulloque loco in hoc exercitio, vel jam turbentur, vel in fururum impediantur.

Decimo quartò. Si quæ Gravamina futuro tempore in negotio Religionis emergerent, dissidia, nunquam armis, sed per Regem auditis partibus determinentur.

Decimo quintò. Sub gravi Cæsareæ & Regiæ Majestatis indignatione, abstineant Status & Ordines, ac Regnicolæ, ne quis alterius partis Religionem, aut ejus asseclas, conviciis, vel scommatibus ullo modo proscindat.

Undè Sua quoque Majestas Cæsarea & Regia, omnes suos fideles Status, Ordines & Regnicolas, non solùm contra omnem vim, & violentiam Clementissimè proteget, sed etiam transgressores, sine Status discrimine, prout Regni tranquillitas exigit, condignâ pœnâ afficiet; Quæ tamen omnia nec aliter, nec alio modo conceduntur, quàm ut Augustanæ &

Digitized by Google

næ & Helveticæ Religionis sequaces, si hâc concessione frui velint, quietè, pacificè, & prout alios Fideles Subditos decet, vivant, & debitam obedientiam Regi suo præstent; Et cum per hæc omnia Sua Majestas Sacratissima, suam erga illos innatam Clementiam & benignitatem abundè demonstraverit, nec quid ulterius ab Illa in hoc religionis negotio desiderari possit: Undè etiam pro certo habet, Regni Status, Ordines & Incolas, Suæ Clementissimæ Resolutioni omninò acquieturos. De reliquo Iisdem omnibus & singulis Cæsaream atque Regiam Suam Gratiam & Clementiam benignissimè confirmat.

Per Sacratissimam Cæsaream & Regiam Majestatem, Sopronii Die 9. Mensis Novembris Anno 1681.

Johannes Maholany. Mppr.

XXII.

Demissa Secundaria, ad itidem Secundariam Suæ Majestatis Sacratissimæ benignam Resolutionem, Replica

Universorum Dominorum Prælatorum, Magnatum & Nobilium, cæterorumque Statuum ac Ordinum Regni Hungariæ, Partiumque Eidem annexarum, Altè memoratæ Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestati, Domino Domino Ipsorum naturaliter Clementissimo, Sopronii Die 22. Novembris Anno 1681. debito fidelitatis ac reverentiæ cultu exhibita.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas,
Domine, Domine naturaliter Clementissime.

Iteratas, easque benignas Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutiones, eo, quo par est, perpetuæ fidelitatis submissionisque cultu ac obsequio perceperunt: Et quia in nonnullis earundem Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionum Punctis advertunt fideles Status ac Ordines, vel Nobilitarem ipsorum prærogativam & immunitatem lædi, vel legitimum, eumque ordinarium Juris hujus Patriæ cursum variari, aut demùm intolerabiles eorundem Statuum & Ordinum injurias, quibus tàm per naturalem Christiani nominis hostem, quàm per ipsos tumultuantes Patriæ filios

filios,ac etiam vicinas exterasque nationes affliguntur, haud tolli posse. Ideò Majestati Vestræ Sacratissimæ memorati Status ac Ordines ulteriùs quoque molesti esse coguntur, Eandem velut Dominum & Regem Ipsorum Clementissimum, perquàm humillimè exorantes, dignetur Eosdem perbenignam subsequentium reiteratorum postulatorum suorum annuentiam, tàm in Juribus, immunitatibus, avitisque Libertatibus suis, ac benignis Diplomatibus conservare, quàm verò demissè implorata remedia, ad tollendas tot & tantas Regni colluctationes, ærumnas & immensas calamitates, restaurandumque attenuatum hujus Regni Statum deservientia, pro Paterna cura, Regiique sui animi affectu & sollicitudine clementer resolvere.

Et primâ statim fronte benignâ Majestatis Vestræ Sacratissimæ, rationes conservationis Palatinalis authoritatis, confirmationisque & consolidationis Articulorum in demissis Gravaminibus, & priori Replica suis specificatorum, facta resolutione, contenti redduntur Status & Ordines, humillimasque tàm propterea, quàm pro extinctione Gubernii & Locumtenentiæ administrativæ, contra tenorem Articuli 3. Anni 1680. ante Coronationem his revolutionum temporibus introductorum, Majestati Vestræ Sacratissimæ agunt gratias, verùm quia non solùm super simplici prætractorum Gubernii & Locumtenentiæ Sigillorum avocatione, sed etiam pro reali & effectivâ, Articulariterque fiendâ eorundem, prout & expeditionum (si quæ à tempore creationis Palatini emanatæ fuissent) abolitione, & annihilatione, rationibus ex inibi denotatis, Status & Ordines demissè institissent, Undè nunc quoque Majestati Vestræ Sacratissimæ humillimè super eo supplicarent, eademque & easdem pro invigorosis & irritis Articulariter haberi justo exposcerent. Atque cum vigore Legum Patriarum, signanter Articuli 2. 1655. 14. 1635. ac Articuli 30. 1659. Annorum, solus Palatinus Locumtenens esse censeretur, ac per hoc officium Palatinale distinctam Locumtenentiam non pateretur, adeoque Articulos de authoritate Palatinali hoc sensu per Majestatem Vestram Sacratissimam benignè confirmatos, humillimè acceptant: In casu verò mortis Palatini Articulum 3. 1608. ante Coronationem renovari, ac strictiùs observari, demissè exposcunt.

Ad Primum itaque benignæ, ejusque secundariæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionis *Punctum* quod attinet: Et quidem pro oblata novissimæ pacis cum fidelibus suis Statibus ac Ordinibus fiendâ communicatione, summas hoc quoque in passu rependunt Majestati Vestræ Sacratissimæ gratias, pro actuali tamen, & debito effectui quantocyus, idque stante præsenti Diætâ mancipanda ejusdem communicatione, ulterius

teriùs etiam demissè supplicant. Imposterùm verò ejusmodi notificationes publicum Regni statum & negotia tangentes, non in solita solummodò confidentia, sed ad mentem Legum & rationum superindè in Gravamine & Replica specificatarum, Clementer observari facere dignetur.

Benignam Majestatis Vestræ Sacratissimæ quoad conditionem Residentis nativi, Cæsareo in Porta Otthomannica æquali authoritate in rebus Hungaricis adjungendi, declarationem, gratô quidem acceptant animô Status & Ordines, verùm hic loci quoque, modo in Replica & Gravamine suis declarato, fiendam effectuationem humillimè supplicant, neque defuturi Iidem Status & Ordines, quin pro possibili specificatam, in benigna Majestatis Vestræ Sacratissimæ Secundaria Resolutione præstent assistentiam, dummodò per Majestatem Vestram Sacratissimam certa persona nationalis, eaque prudens, & Patriæ amans, rerumque Hungaricarum gnara & experta, pro hoc munere obeundo, & quidem stante moderna Diætâ, cum consensu Regni; Eadem verò solutâ, publicaque necessitate subitò ita exposcente, semper medio Domini Comitis Palatini (præviâ attamen cum Generalibus & Capitaneis nativis, ac Comitatibus pro exigentia rei & temporis sibi vicinioribus, reliquis verò remotioribus, per literas superindè certificatis, fiendâ desuper communicatione) eligenda, per Majestatem Vestram Sacratissimam cum altero suo Cæsareo Residente ibidem æquali, ut præmissum est, in rebus Hungaricis authoritate confirmanda, & intertenenda, denominetur.

Provisionem occasione Turcis dedititiorum, tàm in priori, quàm in posteriori benignis Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionibus contentam, Status & Ordines perdemissè acceptant.

Quo verò ad universalem, æquè ac particularem, in casu summæ necessitatis fiendam insurrectionem, eatenus ad Leges & rationes in primæva Replica Sua appositas, Iidem Status & Ordines etiamnum sese profundâ cum submissione provocant.

Quantùm porrò ad Secundum benignæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionis Punctum, & quidem respectu punitionis talium militum excedentium, eâ quoque in parte Paternam Majestatis Vestræ Sacratissimæ curam & sollicitudinem, cum perpetua fidelitatis suæ observantia gratanter acceptat, satisfactionem nihilominùs damnificatis, eô quo in Gravamine & Replicâ priori suis exprimeretur modo, impendendam (quia hactenus per Majestatem Vestram Sacratissimam irresoluta esset) meritò Status & Ordines supplices exoptant.

Injunctam demùm præmentionatarum benignarum Majestatis Ve-

ſtræ Sacratiſſimæ Patentium elargiendarum expeditionem, ſimiliter demiſſè acceptam, earundem tamen directionem ad manus Ablegatorum, tàm Comitatuum, quàm Liberarum ac Montanarum Civitatum, hic in publicis Regni negotiis deſudantium, perque eosdem remeanti militiæ fiendam exhibitionem, obſequenter implorant.

Reſolvere item benignè dignata eſt Majeſtas Veſtra Sacratiſſima, Arces nonnullorum Privatorum (quibus videlicet ratio belli immunitatem Præſidii permitteret) præſidiatas evacuare, fidelesque Status & Ordines ſuos per hoc ſummè afflictos clementer ſublevare. Quia verò in omnibus hujusmodi Privatorum Arcibus (exceptis Devin, Nyalab, Torna, Balogh, nec non Beltek, ac etiam Confinio Dios Győr, juxta Gravamen reædificandis, nativoque milite Hungarico præſidiandis) ratio belli immunitatem Præſidii permitteret: ideò ulteriùs quoque pro evacuatione earundem Arcium, uti & Liberarum Civitatum, nec non Privilegiatorum Oppidorum, ac reſtitutione munitionum, & armorum è Civitatibus ablatorum, quorum in benigna Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ reſolutione mentio nulla haberetur, ſuppliciter inſtant, immediateque prærecenſitas Arces, & Præſidium reædificandas, & reparandum, præſcriptô milite nativô præſidiandas & muniendum expoſcunt; Sed nec de militum proprio ære vivere debentium, certoque numero, ac ad tempus duntaxat, donec videlicet vigentes motus ſedati fuerint, in Regno tolerandorum, & per Præſidia Regni diſtribuendorum, cum Regnicolis, ſtante præſenti Diæta fiendâ determinatione, atque minus neceſſariorum è viſceribus Regni indilatè ſubſequenda eductione, ac expoſt per ſupplementa, ſeu Recruta, ut vocant, ullo ſub prætextu, contra Conditionem Decimam Tertiam Diplomatis Regii, aliasque poſitivas Regni Leges non introductione aliqua in benignis Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ reſolutionibus fieret mentio. Ideò Status & Ordines ad modalitatem in porrectis Gravaminibus, & priori Replica ſuis expreſſatam ſeſe reflectentes, factæ eatenus demiſſæ ſuæ inſtantiæ ſatisfieri cupiunt.

Quo verò ad Authoritatem Palatinalem, eadem ut in ordine etiam ad puniendos extraneos milites, ſecundum priorem Replicam, Legesque ibidem citatas, prout & Articulum 1. ad finem Anni 1555. Conſtitutionum Poſſonienſium, & 25. 1659. nec non 4. 1618. uti & 14. 1635. in ſuo vigore permaneant, demiſſè ſupplicant.

Diſpoſitionem verò Præſidiorum, & militiæ in Regno tolerandæ ordinationem, immediatamque dependentiam, penes Dominum Comitem Regni Palatinum, nativos Generales Confiniorum, ad mentem Legum Patriarum in Gravaminibus ac priori Replica ſuis ſpecificatarum,

ſignan-

Digitized by Google

signanter verò Articuli 25. 1659. & 24. 1625. annorum manere debere, iteratò demissè censent Regnicolæ; Commissariorum demùm, quorum dispositionibus milites hinc indè proficiscentes sese accommodare tenebuntur, per Comitatus fiendam deputationem humillimè acceptant.

Quantum ad Vectigalium militiæ suæ Cæsareæ prohibitorum sublationem attinet, inhærere quidem Majestatem Vestram Sacratissimam priori benignæ suæ resolutioni, quod videlicet Commendantibus locorum à Statibus & Ordinibus specificatorum seriò demandare dignabitur, qui gravi sub pœna à mentionatis exactionibus abstineant; Quamobrem ipsi quoque Status & Ordines pro benigna Majestatis Vestræ Sacratissimæ Clementiâ immensas reponunt gratias, cum tamen tales, & his similes præjudiciosæ vectigalium exactiones, non modò per prænotatos Majestatis Vestræ milites extraneos, sed etiam indigenas, Cameram utpotè Vestræ Majestatis Sacratissimæ Hungaricam, idque in via Regia, & consequenter Pontibus Possoniensibus, aliisque in locis, porrecto Gravamini fusiùs insertis, irremissibiliter cum non levi Nobilitaris prærogativæ præjudicio extorquerentur. Idcircò benignam hanc Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionem, etiam ad dictam Cameram, prouti & reliqua in Gravamine, & priori Replica suis denotata loca extendendam, demissè habere vellent.

Quantum demùm *Tertium* benignæ Resolutionis *Punctum* concerneret: Esto quidem in Secundaria Majestatis Vestræ Sacratissimæ benigna resolutione, nonnullæ ibidem citatæ de processu contra Nobiles instituendo apponerentur Leges, Eædem nihilominùs, ex quo per posteriores Regni Constitutiones in Gravaminibus, sub secutaque priori replica Majestati Vestræ Sacratissimæ demissè præsentatis, appositas, ac benignò quoque Diplomate Regio firmatas, partim sublatæ, partim modificatæ, & ad certos Judices ac processum restrictæ haberentur, eatenus quoque demissæ instantiæ suæ, in attactis Gravaminibus, ac priori Replica suis declaratæ, supplices inhærent, benignam Majestatis Vestræ Sacratissimæ annuentiam, humillimis animorum suorum desideriis implorantes, siquidem prærogativa Nobilitaris sanguine utpotè & armis majorum suorum laudabiliter partâ, ac per prædecessores Majestatis Vestræ Sacratissimæ, gloriosissimos nempè Hungariæ Reges, uti & Majestatem Vestram Sacratissimam clementer confirmata, nec non Diplomatibus Regiis consolidata, bonisque & fortunis nostris universis, imò etiam vitæ (quâ nihil charius, nihilque pretiosius esset) præferenda, inter reliquas ipsorum immunitates vel maximè incumberet tuenda conservandaque.

Pro cassatione Reversalium, Fidejussionalium, Contractualium,

Cessionalium, ac aliarum id genus literarum, per quoscunque & qualitercunque, occasione horum motuum extradatarum, prouti & effectivâ restitutione bonorum, vigore earundem occupatorum, ulteriùs quoque modalitate in Gravaminibus ac Replica prætacta suis, uberiùs declarata, & non per Commissionem, uti in benigna Secundaria Majestatis Vestræ Sacratissimę resolutione, in prejudicium Regni Legum contineretur, ex integro fiendâ, devolvendaque. Ac ut Fiscusquoque Regius in acquirendis bonis secundum Leges & Diploma Regium in eadem Replica expressas ac declaratas procedat, Status & Ordines humillimè supplicant.

In negotio Comitis Georgii Illyeshazy, prout & hęredum, seu Orphanorum, quorum Bona per Fiscum Regium, citra consuetam Juris viam confiscata esse dignoscerentur (ex quo hoc loci Publicæ Regni Libertatis, & ejusdem conservationis ratio habcretur) rursus obsequentissimè instantes, porrectoque Gravamini, & primęva instantiæ suæ, ex Legibus & rationibus ibidem denotatis, Diplomateque Regio firmatis, nunc etiam insistentes, benigniorem eatenùs Majestatis Vestræ Sacratissimę Jidem Status & Ordines præstolarentur resolutionem, demissè supplicantes, ut tàm his, qui jam sese pro sui restitutione apud Majestatem Vestram Sacratissimam humillimè insinuarunt, quàm aliis, pro quibus Status & Ordines æquè, ac illis ex fundamento Legum Patriarum demissè interposuissent (salvis semper Legibus Regni) benignè resolvere dignetur.

In causa verò Sabariensium & Meszleniensium, de præsenti quoque Status & Ordines perdemissè supplicant, ut stante adhuc præsenti Diæta amicabilis (sine tamen præjudicio jurium eorundem) medio Excellentisſimi Domini Comitis Palatini, Tabulæque Majestatis Vestræ Sacratisſimæ Judicum, qui ad latus haberi poterunt, tentetur compositio: eâ verò minùs succedente, securitate in priori Replica declaratâ, ad futuram Regni Diætam judicialiter revidenda relegetur. Et quia de negotio Prædialium sedis Devecser ac Bagyokiensium in eadem clementi Majestatis Vestræ Sacratisſimæ resolutione nulla haberetur mentio, eò similiter in passu, prout & in ordine ad Oerseghienses, & Officiales Dominii Ovar, per priùs porrectæ suæ Replicę in antehac exhibito Majestatis Vestrę Sacratisſimę Gravamine fundatæ, perdemissè inhærent.

Ad Quartum. Humillimas similiter referunt gratias, pro resoluta clementer Repartitionis & Accisarum, exindeque qualitercunque prætensarum restantiarum, ac aliarum etiam afflictis Patriæ Civibus hactenus contra omnia Jura eorundem impositarum exactionum, sublatione, demissè supplicantes, quatenus eandem suam resolutionem per benignas suas Patentes ad omnes Comitatus & Liberas Montanasque Civitates

clar-

elargiendas, pro evidentiori Paterni sui affectus Regii, erga fideles suos Status & Ordines declaratione, publicari facere, ac ubi, uti in Superiori Hungaria, eadem Accisarum & Repartitionalium restantiarum onera actu etiam exigerentur, cum omnimoda contra tales exactores, & præter voluntatem Majestatis Vestræ Sacratissimæ, fidelium suorum Regnicolarum oppressores, animadversione, & effectivam medelam adhibere, Articulum porrò I. Uladislai Decreti 5. eatenùs jam perbenignè renovatum, modalitate in Gravaminibus apposita, ad singulos Dominos Prælatos, Barones & Magnates, nec non singulos Comitatus, ac Liberas, Montanasque Civitates benignè extendere, & neque amplius similia Contributionum onera, contra manifesta Regni Privilegia, Legesque & Statuta Diplomate Majestatis Vestræ Sacratissimæ confirmata, invitis & minùs consentientibus Regnicolis, quoquo modo imponi, ab iisdemque exigi facere dignetur.

Quoad Subsidium verò Annonarium, ex parte Regnicolarum pro moderna necessitate assumendum, licet ex rationibus humillimæ suæ Replicæ appositis, propter extremam sui ac suorum egestatem, militiæ Germanicæ etiamnum in Regno, pro libitu ferè afflictos Patriæ Cives opprimentis nimiam licentiam, se vix alicui contributionum oneri supportando pares agnoscerent, & aliundè etiam, dùm tot millia militum Germanicorum intra hoc undecennii tempus introducta, præter alia omnis generis victualia, solô hungaricô pane majori ex parte gratuitô, partim simplici vi, præcipuè in condescendendo, partim verò titulo impositarum Contributionum desumptô, sustentata extitissent; quid ab ipsis eatenùs ulteriùs desiderari possit non viderent; Nihilominùs tamen, dummodò juxta humillimam ipsorum instantiam idem miles in certo numero, stante adhuc Diætâ cum Regnicolis determinando, in Regno ad certum tempus tolerandus, in bonam & effectivam disciplinam reducatur, & ad Confinia Turcis viciniora proportionaliter cum Consilio Hungarico distribuatur, Regnicolæ in his etiam extremitatibus loco Dicæ, certam subsidii annonarii quotam, in superiori quidem Hungaria, à singula Porta, per duos Cubulos mensuræ Cassoviensis post futuram messem, ubi videlicet illam pacificè habere potuerint, pro Festo St. Michaëlis Archangeli proximè venturo, ad vicinas domos annonarias, vel Præsidia, in natura præstandum; In Partibus verò Cis- & ultra-Danubianis itidem à singula Porta, per quatuor Cubulos mensuræ Posoniensis Sancti Pauli; pro altero verò ad Festum St. Georgii Papæ (defalcatis ubique per totum Regnum, cum prævia Portarum rectificatione, desolatis & combustis, ac tributariis etiam, post ultimam Articularem in Anno

1647.

Digitized by Google

1647. factam connumerationem factis, dimidium solventibus) itidem ad vicinas domos annonarias, vel vicina Præsidia pro sequenti duntaxat Anno 1682. administrandam: In casu verò neglectæ per aliquos Comitatus ad præscriptos terminos fiendæ præstationis, non manu externâ militari, uti hactenùs cum maximâ oppressione Regnicolarum factum; sed per Dominum Comitem Regni Palatinum, in Partibus verò Superioribus, per nativum Generalem illarum Partium, juxta Leges Regni superindè conditas, irremissibiliter desumendam spontè offerunt. Atque in facto æqualitatis mensurarum, Articulis Regni jam anteà superindè editis inhærent: Ut verò limitato aliquo, & quidem valdè exiguo illis hactenùs imposito, præter consuetum & pro ratione moderni temporis currens, in foris hebdomadalibus pretium, aliquam annonam, tanto minùs victualia procurando in se assumere possint, modum non vident, vel ex eo etiam, quod rerum venalium pretium, non tàm ab arbitrio hominum, quàm sterilitate vel fertilitate annorum; & qualitate temporum dependeret, atque hactenùs simile limitatum pretium Regnicolis impositum, præter alias sui oppressiones in duplo, triplo & quadruplo, etiam ex proprio resarcire debuissent, & aliundè etiam Camera Hungarica sufficientes Officiales suos, Tricesimatores utpotè, Provisoresque & Contrascribas haberet, quibus id muneris facilè committere posset, Officialibus Comitatuum aliundè satis in aliis publicis Comitatus & Regni negotiis occupatis.

Ad Quintum. Circa antiquorum Confiniorum provisionem, & dirutorum etiam reparationem, nativique militis ad numerum in Articulo 3. Anni 1655. expressam reductionem, siquidem Regnicolæ adhuc stante Dieta congruentem accommodationem & dispositionem commodè posse fieri viderent; Idcirco pro ejusdem effectuatione iteratò supplicant, demissè instando, ut circa conductionem nativi militis, Dominis Locorum Generalibus & Capitaneis, quamprimùm Patentes suas Regias extradare, aliaque requisita media in eum finem necessaria Majestas Vestra Sacratissima benignè adhibere dignetur.

Quo in passu Regnicolæ quoque ex parte sua, in solutionem præscripti nativi militis modo prævio conducendi, præter mediam istius Regni Tricesimam iterùm usque ad futuram Regni Diætam humillimè oblatam, aliud pecuniarum subsidium ex vectigali salis; In superiori Hungaria quidem in locis Nagy Szölös, Karoly, Szatthmar, tàm beneficio Tybisci, quàm curruum per terram inducendi, à singulo videlicet lapide salis beneficio aquæ inducto, per denarios duos, occasione verò curruum per terram invecto, per denarium unum computando, exigendum; In inferiori

feriori Hungaria verò in locis Commarom, nec non ex Polonia etiam in Comitatum Arvensem introducendi, à singulo Centenario per denarios viginti quinque (quos videlicet hactenùs Camera Hungarica præter consuetum vectigal Regium à quæstoribus exegisset) in eum finem limitando (sublatis nihilominùs siccis teloniis, ac aliis etiam vectigalibus, præcipuè in decursu Tybisci per nonnullos privatos contra Leges Regni sibi vendicatis, ac aliis etiam Regalibus proventibus, per Officiales Commaromienses abusivè sibi usurpatis, effectivè juxta Articulum 17. 1618. & alios ibidem citatos, nec non Articulum 57. 1659. annihilatis, ac vectigali etiam Regio in antiquam suam formam & statum reducto) desumendam, & manibus certi Perceptoris per Regnicolas stante Diætâ denominandi, sub onere singulis annis dandarum rationum Domino Comiti Palatino, vel aliis per eundem deputandis, unà cum media Tricesima assignandum offerunt.

Et humillimas habendo gratias pro onere auxiliorum Sacri Romani Imperii, summique Pontificis, & Serenissimi Regis Hispaniarum implorandorum, per Majestatem Vestram Sacratissimam in se assumpto, iteratò humillimè instant, ut ad mentem præcitati Articuli 3. 1655. alios quoque proventus Regni, in dictam solutionem militum nativorum deputare dignetur.

Regnicolæ quoque omni conatu adlaboraturi, ut juxta benignam Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutionem, rationes de perceptis & erogatis, tàm mediæ Tricesimæ, quàm aliarum hactenùs factarum Contributionum Regni proventibus, debito modo exigantur, & tales restantiæ resultantes in præmissam Confiniariorum solutionem (cum defalcatione nihilominùs illorum Mille tallerorum, quos Regnicolæ, ex contributione juxta Articulum 8. 1659. dispositioni suę subjecta, nomine eleemosynæ viduæ Palugyianæ relaxassent) convertantur.

Gratuiti porrò labores, eorumque restantię non juxta usum his disturbiorum temporibus introductum, sed juxta Articulos Regni per Majestatem Vestram Sacratissimam etiam benignè confirmatos, limitationemque in iisdem expressam, exigantur.

Et quia vectura munitionum solis Liberis Civitatibus, juxta Articulos Regni (præscindendo similiter à prætenso usu his motibus introducto) Articulariter incumberet; Ideò etiam vecturam (non per Comitatus aliis publicis servitiis involutos, sed juxta præscriptas Leges Regni per ipsas Liberas Civitates) præstandam iteratò cuperent.

Portarum verò rectificationem non generaliter per totum Regnum, veluti minùs necessariam, & aliundè etiam tàm longa temporis jactura, & ma-

Digitized by Google

& magis sumptibus absolvendam, sed respectu saltem desolationis aliquorum locorum, cum defalcatione desolatorum vel combustorum, articulariter fiendam supplicant: Legali denominatione & deputatione Commissariorum ad id exequenda aptorum, penes Comitatus salvâ permanente.

Quoad excessus Capitaneorum & militum gregariorum, in Gravamine ac priori Replica nominetenùs specificatorum, juxta leges Regni, signanter verò Articulum I. 1555. 25. 1659. & 4. 1618. per Dominum Comitem Palatinum, modalitate in iisdem articulis denotata, stante præsenti Diætâ, cum satisfactione damnificatis, tàm respectu præteritorum, quàm futurorum excessuum effectivè danda, puniendos ulteriùs quoque demissè oprarent; Iisdem Statibus & Ordinibus ad benignas resolutas authenticas inquisitiones, secundùm sensum Gravaminis & Replicæ priorum ubicunque acceptandas, contentis existentibus.

In Ordine ad Nobiles in Confiniis Regni degentes Articulos 81. 1649. & 21. 1659. Annorum, aliosque ibidem citatos renovandos & strictiùs observandos, vigore quorum iidem Nobiles in antiquis eorundem Juribus, immunitatibus & Libertatibus, per locorum Supremos & Vice-Capitaneos illibatè conserventur, Status & Ordines jure meritò judicant decernendum.

Quò verò ad Dominam Principissam Rakoczianam, quâ Legibus Regni subjectam, in quantum contra Leges in oppressionem Libertatis Nobilitaris aliquid fecisset, à lege & processu legali exempta non esset: Ideò ut secundùm Leges, compertâ rei veritate, per competentem Magistratum negotium discutiatur, justitiæ conforme videtur.

Ad Sextum: Licet uterque Status, tàm Catholicus, quàm Evangelicus, pro benigna, eaque Diplomatica Religionis complanatione iteratò humillimè institissent, ad easdemque demissas suas instantias, per iteratam etiam benignam Majestatis Vestræ Sacratissimæ datam resolutionem, juxta contenta benigni Diplomatis Regii, nec Statui Catholico, sed neque Evangelico (uti ab utrinque querularentur) satisfactum esset. Ideò Status & Ordines Regni demissè reiteratâ suâ humili eatenùs instantiâ, ulteriùs quoque pro satisfactione, juxta sensum benigni Diplomatis Regii ab utrinque fiendâ supplicant; Inhærendo Gravaminibus & priori Replicæ suis ab utrinque præsentatis.

Ad Septimum: Circa correspondentiam inter Cameram Aulicam & Hungaricam; juxta Articulum 18. 1622. ac alios ibidem citatos ritè observandam; Quoad dependentiam verò vel maximè his revolutio-

nibus

Digitized by Google

nibus introductam, juxta Articulum 11. 1655. aliosque superindè editos tollendam, renovatis iisdem Articulis iteratò demissè supplicant.

Per supplicatam verò vigore Legum Patriarum in Gravamine citatarum, moderni Præsidis amotionem, Status & Ordines nec in minimo quidem Authoritati Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regiæ præjudicare intendunt, & quemadmodum per Legalem Gubernii, & Locumtenentiæ abolitionem, eidem Authoritati Regiæ nil præjudicatum esset; ita etiam per hanc similiter legalem dicti Domini Præsidis, veluti vigore expressarum Patriæ Legum pro illo officio incapacis amotionem, nil præjudicii vel derogaminis futurum existimant, non enim hic & nunc ejusdem vitam, non utilem vel inutilem ærarii administrationem, exindeque subsecuta Regni commoda vel incommoda, sed unicè Legum Patriarum vigorem, & exindè etiam speratam Regnicolarum quietem considerant. Ideoque ex solo legalis inhabilitatis fundamento ipsius amotionem, ad instar aliorum Officialium fiendam Cameraticorum, jam benignè per Majestatem Vestram Sacratissimam resolutorum fiendam, penes reiteratam demissam suam instantiam, Status & Ordines supplicant.

Quod verò ad demissam fidelium Statuum & Ordinum Regni instantiam Comitem Volkra, aliàs subordinatum Vice-Præsidem ejusdem Cameræ ab eodem Officio benignè avocare dignata sit, humillimas referunt gratias, demissè supplicantes, quatenùs Administratorem quoque Cassoviensem, Baronem à Walregg ab eodem Administratoratûs officiô, sicut & alios Extraneos, ac superfluos, tàm in Superiori, quàm Inferiori Hungaria existentes Officiales Cameræ, amoveri curare dignetur: Quorum nomina vel maximè præsenti humili Replicæ scriptotenùs annexa cognoscerentur.

[Amovendi ex Camerâ Posoniensi: Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Comes Leopoldus à Kollonich, Supremus Præses. Illustrissimus Dominus Comes Volckra, Vice-Præses. Generosus Dominus Franciscus Gansz, Consiliarius. G. D. Georgius Ber, Secretarius. G. D. Ferdinandus Blasz, Coadjutor. G. D. Fridericus Meth, Rationum Magister. G. D. Contralor. G. D. Carolus Valerius Vighard, Solutor Bellicus. G. D. Postarum Magister Posoniensis. Tricesimatores: Wimpaszien sis, Szentmartoniensis, Ikervariensis, Contra-Scriba Sopronien sis, omnes novæ Tricesimæ & Contra-Scribatus his revolutionibus erecti & introducti tollendi. Item Superflui & impossessionati; Magnificus Dominus Gregorius Maytheny, Consiliarius, Dominus Laurentius Mecs, Consiliarius. Dominus

minus Paulus Eilzforth, Tricesimator Ovariensis, pro quo Illustrissimus Dominus Præses Fidejussor est. Extranei in Camera Scepusiensi: Magnificus Dominus Liber Baro de Valszegg, Administrator. Generosus Dominus Ludovicus Albertus Tavonath, Consiliarius. Dominus Wilhelmus à Draheim, Bonorum Fiscalium Præfectus. Dominus Christophorus Leimer, Secretarius. Dominus Martinus Erhard, Vice-Conservator, & nonnulli Cancellistæ similiter extranei. Tricesimatores: Szatthmariensis Græcus. Unghvariensis Polonus. Tricesimæ & Contra Scribatus his tumultibus introducti similiter tollendi.]

Benignam porrò in bonis tàm mobilibus, quàm immobilibus ex jure Fisci, juxta Leges Regni occupandis, declarationem, demissò acceptant animo, humillimè his quoque supplicantes, quatenùs juxta demissam ipsorum Statuum & Ordinum Regni instantiam, Punctô Tertiô appositam, circà restitutionem bonorum inibi denotatorum, sese clementer resolvere, atque circa mobilium etiam post divisionem acquisitorum, in casu sine Testamento decedentis Acquisitoris, superexstantibus propinquioribus Consanguineis, non in Fiscum Regium, sed in eosdem propinquiores devolvendorum fiendam successionem, juxta Gravamen Regnicolarum superindè appositum per benignam suam resolutionem clementer annuere dignetur.

Pro Bonis autem per nonnullos Officiales in privatos usus distractis, danda satisfactio, ut ab iisdem Officialibus actu in Regno existentibus, sive illi indigenæ sint, sivè Extranei, vel eorundem hæredibus, juxta Leges Regni, vigore Brevium super violentiis, ac aliis quibusvis actibus potentiariis editas, per ipsos damnificatos vel eorundem Successores acquiri possint; Qui verò jam extra Regnum essent, authoritate Regiâ, ad instantiam damnificatorum vel eorundem successorum, tàm ipsi, quàm ipsorum hæredes ad dandam satisfactionem compellantur, æquitati consonum censetur.

Per Magistratuum pro Civilium in Liberis & Montanis Civitatibus restauratione, non juxta prætensum à parte Camerarum aliquem usum, his revolutionibus, contra ipsarum Civitatum Privilegia & Leges Regni introductum, sed secundum Articulos superindè editos, signanter verò Articulum 83. 1647. ac alios ibidem citatos hoc loci quoque confirmandos fienda; Sicut & pro excessuum earundem Liberarum ac Montanarum Civitatum, Oppidorumque Privilegiatorum & Exemptorum, in Gravamine repræsentatorum, in præjudicium Nobilitaris prærogativæ præcipuè his motibus contra Nobilitatem in medio ipsorum degentem

patra-

Digitized by Google

patratorum (ne videlicet imposterum id facere præsumant) sublatione, Articulorumque Regni jam anteà superindè conditorum, & aliorum de prærogativa Nobilitari sancitorum in Gravamine citatorum renovatione cùm iterata submissione instarent.

Similiter ut contra omnes & singulos Tricesimatores, Decimatores, & Teloniatores quoquo modo etiam extra Decimationem excedentes, aliundè etiam vigore Articuli 18. 1618. Judicatui Comitatuum subjectos juxta Leges Regni superindè editas, ac per Majestatem quoque Vestram Sacratissimam Diplomate Regiô confirmatas, sine aliquo Camerarum impedimento, vel illegali cujusvis assistentiâ, procedi possit.

Atque ut Vectigalium Regiorum & Teloniorum tàm in Hungaria, quàm Croatia fienda rectificatio, primô quoque tempore debito modo instituatur, omnesque & singuli abusus, tàm antea, quàm his vel maximè tumultibus, ac recenter etiam in Tricesimis, & aliis Vectigalium seu Teloniorum locis per quoscunque tollantur. Sed & de Judicatu Camerarum tollendo, ut Articuli 1659. 46. 29. 1655. & 1498. 35. renoventur, & effectivè per easdem Cameras observentur, dignum censent.

Quoad Literarum verò & Literalium Instrumentorum Bona jam restituta vel restituenda tangentium conditionatam (uti benigna Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutio sonaret) restitutionem reflectendo sese Status & Ordines ad demissam instantiam suam Puncto Tertio in negotio Literarum Reversalium, Fidejussionalium & Contractualium appositam, ut tales Literæ & Literalia Instrumenta, legitimis eorundem Dominis, vel ipsorum Successoribus erga Quietantiam seu Recognitionales illorum simpliciter restituantur, ulteriùs etiam supplicant.

Demùm ut Salarium Judicum Tabulæ Regiæ hactenùs ipsis per Cameram Hungaricam diversis sub prætextibus vel simpliciter denegatum, veluti in præsenti Diæta, notabiliter defalcatum & remoratum, juxta Articulum 41. 1659. tàm in præsenti Diætâ, quàm subsequentibus, sicut & tempore celebrationis Judiciorum Octavalium majorum & minorum, seu Brevium Extraordinariorumque & revisionum Appellationum, ejusdem Tabulæ Judicibus sine defectu, ad solam Domini Comitis Regni Palatini Commissionem, semper à die motionis cujusvis Judicis inchoando, usque ad finem tàm modernæ, quàm futurarum Diætarum, aut præspecificatorum Judiciorum per Cameræ Hungaricæ Perceptorem sine ulteriori in Cameris fienda sollicitatione effectivè exsolvatur, Justitiæ conforme censent Regnicolæ.

Atque renovato Articulo 51. 1655. pro Prælato in superiori Hungaria ad Tabulam, Reverendissimum Dominum Georgium Horvath

Digitized by Google

Episcopum Corbaviensem, pro Barone verò Magnificum Ladislaum Karoly; In Appellationibus autem penes Dominum Comitem Palatinum, futurum Episcopum Agriensem, Reverendissimum Dominum Andream Sebesteny, Episcopum Transylvaniensem, item, futurum Dominum Judicem Curiæ Regiæ & Comitem Sigismundum Homonay denominant, facultate in locum absentium, vel decedentium alios surrogandi penes dictum Dominum Palatinum permanente.

Ad Octavum. Benignè resolutam metarum cum vicinis Provinciis rectificationem, per Commissarios ab utrinque ex parte quidem hujus Regni jam denominatos, à parte verò hæreditariarum Majestatis Vestræ Sacratissimæ Provinciarum quamprimùm denominandos, instituendam, similiter Paragraphum in benigna Majestatis Vestræ Sacratissimæ Secundaria resolutione specificatorum, juxta Gravamen & priorem Replicam clementer factam ratificationem, sicut & paternè oblatam circa vinorum Hungaricorum inductionem, commissione mediante fiendam determinationem demissè acceptant, supplicantes, quatenùs easdem ambas Commissiones benignè admaturare, & optato effectui demandari curare dignetur.

Et quia Dominium Mainersdorff intra veras metas, & limites Regni Hungariæ situm esset; Ideò pro illius etiam ad formam Articuli 25. 1649. incorporationem, & ad Regnum reapplicatione fienda, Regnicolæ humillimè instarent.

Similiter cum & respectu Civitatis Fürstenfeldensis, ac aliorum in Comitatu Szaladiensi locorum, Regnum hoc rectificatione metarum versus Styriam opus haberet. Ideò non obstante certo Contractu per Familiam Bottyany, cum præjudicio totius Regni inito, ac aliis quibusvis damnosis, & Regno præjudiciosis Commissionibus eatenùs institutis, dictas quoque metas Civitatis Fürstenfeldensis Styriam versus in Castriferrei, præterea in Comitatu Szaladiensi ac Provincia Styria itidem rectificari curare benignè dignetur.

Respectu redemptionis Arcis Lublyo, renovandos quidem esse Articulos superindè conditos, ne tamen sponte oblatam Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archi-Episcopi Colocensis liberalitatem tacitè præterire videantur; Ideò ulteriùs etiam eidem oblationi inhærendo, confidunt Status & Ordines, quod idem Dominus Archi-Episcopus, juxta eandem oblationem suam, pro exponsis itinerariis Commissariorum, jam in priori Replica denominatorum, præmissam Decem millium florenorum Summam adhuc stante Diætâ, manibus Domini Comitis Palatini sit assignaturus, quatenus vitâ ipsius Domini Archi-Episcopi durante,

tàm

Digitized by Google

tàm laudabilis & æternâ memoriâ digna ejusdem intentio, quantocyùs in effectum deduci possit.

Ad Nonum. De beneficiis Ecclesiasticis & Secularibus Officiis, nullo sub prætextu Extraneis conferendis claræ essent Leges, utpotè Uladislai Decret. secundo Art. 30. 1647. 98. 1608. 11. 1622. 23. ac aliæ passim in iisdē citatæ. Ideò reiteratū demissâ suâ instantiâ, ne Beneficia Ecclesiastica, tàm de præsenti, quàm in futurum vacantia extraneis, sed indigenis benemeritis conferantur, conformè censent, demissè supplicantes, ut officia quoque secularia, Præfecturas videlicet, Capitaneatus & Generalatus vacantes, uti sunt in Superiori Hungaria, Supremus & Vice Generalatus Cassoviensis, nec non Capitaneatus Szatthmariensis, Tokaiensis & Szendröviensis, itidem vacantes nativis Hungaris idoneis, & de Patria benè meritis Majestas Vestra Sacratissima adhuc stante Diæta benignè conferre dignetur.

Nulli dubitantes, quod præter benignè resolutam Generalatus Confiniorum Vyvarino oppositorum residentiam per Dominum Comitem Palatinum cum consilio Bellico denominandam, ipsius etiam Præsidii Nitriensis muro cingendi fortificationem admaturari facere benignè dignabitur: admissa demùm possessionis Parucza reædificatio humillimo acceptatur animo.

Ad Decimum. Pro solidiori Justitiæ administratione benignè admissas Regnicolarum humili replicæ appositas; de non impediendo Juris cursu, opinione eorundem proficuas Septem cautelas, & provisiones Articulis Regni inserendas, Status & Ordines humillimi acceptant animo: nîl ambigentes, quòd Majestas quoque Vestra Sacratissima, vigore earundem etiam cautelarum, solitum & legalem Juris ac Justitiæ cursum, pro cujusvis causæ æquitate, clementer manutenere non dedignabitur.

Quoad Concinnationem porrò, seu aliquod Legum Regni Compendium ineundum: cùm illud Leges Patriæ benigno Majestatis Vestræ Sacratissimæ Diplomate firmatæ Statibus & Ordinibus non suaderent, & aliundè etiam Regnicolæ legales suos juris cursus in omnium Causarum suarum Processibus præscriptos haberent, eosdem ad aliquam concinnationem condescendere debere minùs necessarium judicant.

Superioris verò Hungariæ Incolæ pro Judice Curiæ Regiæ, sibi in ilis Partibus concedendo, juxta priorem suam instantiam Gravamini appositam iteratò supplicant. Et quia de usura, seu Interesse, Sex per Centum, annuatim Creditoribus pendendo, jam Articulo 144. 1647. satis provisum esset, ac quoad Contractus quoque vinculatos speciales superin-

perindè Reges exstarent: Ideò Status & Ordines iisdem Legibus demissè inhærerent.

Promulgationem porrò Judiciorum tàm absente, quàm præsente Majestate Vestrâ Sacratissimâ semper cum præscitu ejusdem per Dominum Comitem Palatinum, in Croatiâ verò per Dominum Comitem Banum fiendam, Status & Ordines iteratò humillimè judicant.

Ad Undecimum. Humillimas porrò referunt gratias, pro resoluta Diætæ intra Annum à fine præsentis computando, Posonii celebrandæ concessione, demissè instando, ut Gravamina Regnicolarum ad eandem futuram Diætam, cum benignâ Majestatis Vestræ Sacratissimæ annuentiâ rejecta, unà cum aliis medio tempore fors emergentibus, ad mentem Secundæ Conditionis Diplomatis Regii, in eadem ipsa futura Diæta finaliter complanare, & cum Legali satisfactione eatenus quoque Regnicolis danda, benignè accommodare dignetur.

Ad Duodecimum. Quod demùm ad humillimam fidelium suorum Statuum & Ordinum Regni intimationem, pro domestica Regnicolarum pace, & publica tranquillitate quantocius reducenda, Exulantibus Amnistiam benignè resolvere dignata sit, in eo quoque singularem Majestatis Vestræ Sacratissimæ Paterni animi erga se benignè contestatam propensionem, humilibus ac perpetuò fidelibus suis servitiis recognoscendam, humili animorum suorum sensu Status & Ordines venerantur: demissè supplicantes, quatenùs pro ulteriori clementiæ suæ, & Regii affectus declaratione, efficaciorique gratiæ suæ Regiæ soliditate hanc Amnistiam, in formam Amnistiæ Pacificationis Viennensis, & Anni 1647. per gloriosissimos Majestatis Vestræ Sacratissimæ Antecessores concessam, Articulis Regni inserendam (si sapienti ejusdem Majestatis Vestræ Sacratissimæ consilio ita visum fuerit) clementer resolvere dignetur.

Demissa Secundaria Replica Statuum & Ordinum Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ.

AD Thronum Majestatis Vestræ Sacratissimæ innatæ Clementiæ iteratis recurrimus vicibus, supplicantes demissô precum obsequiô, velit Majestas Vestra Sacratissima humilem postulationem nostram, in Primo Gravaminum & Submissarum Replicarum nostrarum Puncto, quoad exauctoratum militem Banalem specificatam, benignè ulteriùs exaudire, & eundem militem, extremè Confiniis & Regnis prælibatis Majestatis Vestræ Sacratissimæ (aliàs excursionibus, prædis, spoliis, rapinis & devastationibus continuis Turcarum, nominis Christiani hostium, perpe-

Digitized by Google

perpetuò expositum) necessarium clementer in toto restituere, & indilatè redintegrare, ac adaugere, cum certo & infallibili eidem subministrando stipendio.

Quemadmodum etiam Statuta, Leges & Articulos, in ordine ad demissam instantiam nostram, in Octavo Puncto Gravaminis & Replicarum nostrarum citatos, benigna cum annuentia sua admittere, & effectuare dignetur, quibus præcisè de facto etiam inhæremus.

Pro demissâ instantiâ in Puncto *Decimo Septimo* expressatâ, juxta postulationem, tam in Gravamine, quàm in Replicâ uberius declaratam, per Majestatem Vestram Sacratissimam clementer effectuandâ humiliter rogamus.

Et licet in *Decimo Nono* Puncto pro parte Civitatis Segniensis, ac in aliis Punctis Gravaminum, & demissarum Replicarum nostrarum, occasione rectificationis metarum, injuriarumque & excessuum, tàm per officiales & milites Germanos, quàm nativos exerceri solitorum, petitam Majestas Vestra Sacratissima benignè concessisset Commissionem; Quia tamen Commissariis exmittendis omnia & singula complanandi, & deliberativè concludendi, effectuandique & exequendi autoritas plenaria non extitisset. Proindè ne Civitas eadem, prouti etiam Civitates Varasdiensis, Crisiensis, & Caproncensis, aut alii Regnicolæ, benignas Majestatis Vestræ Sacratissimæ aures ulterius molestandi, justitiam implorandi, suasque miserias & afflictiones detegendi ansam habeant; idcircò authoritatem Commissariis attribuendam præspecificatam (unâ cum effectuatione Articuli 100. 1659. & aliorum in prioribus citatorum, benignam etiam habendo rationem in impositione taxarum Civitatum prætactarum) ad normam Gravaminis & humillimæ Replicæ nostræ, eo in passu Majestati Vestræ Sacratissimæ submissè porrectæ, humillimè postulamus, in gratiamque Majestatis Vestræ Sacratissimæ perpetuò fidelia servitia nostra devovemus.

Quæ omnia, dum fideles Status & Ordines cum reiterata humilitate, & ea semper, quâ debent, submissione, supplicant, ac injuriarum quoque hactenùs mille modis sibi illatarum medelam, à Majestate Vestra Sacratissimâ, veluti summo totius orbis Christiani Judiciario, simul & Rege suo Clementissimo, pro innatâ Augustissimæ Domui Austriacæ Justitiâ & Clementiâ, sibi clementer impertiendam implorant: Cognitâ demissæ Supplicationis ipsorum & causæ æquitate, in quantum justum, legale, & suum proprium, propria majorum suorum virtute, & proprio sanguine penes Christianitatem, cum prodiga liberalitate sæpiùs effuso, partum, perque gloriosissimos Majestatis Vestræ Sacratissimæ Antecessores clementer

Digitized by Google

menter admissum, ac per Majestatem quoque Vestram Sacratissimam benigno Suo Diplomate, & in verbo ejusdem Regio, clementer confirmatum, sibi benignè concedendum, humili animorum suorum desiderio exorant, Paternè admittere, & authoritate Suâ Regiâ, pro exigentia justæ ipsorum instantiæ benignè resolvere; In quantum verò, uti fideles Subditi, pro remedio & alleviatione afflicti sui Status, ad Paternam Majestatis Vestræ Sacratissimæ benignitatem provoluti, innatæ ejusdem Clementiæ se submittunt, eosdem Paterno Regiarum gratiarum sinu excipere dignetur: Ita, ut dum in Majestate Vestra Sacratissima, veluti Domino, & Rege ipsorum Clementissimo Patrem, & in Patre Regem se habere confidunt, eandem ipsam Majestatis Vestræ Sacratissimæ Clementiam, in hac sua extrema agonizantis Patriæ, & sui necessitate, stante præsenti Diæta, cum consolatione experiantur, & dum jam se undiquaque ferè derelictos existimant, ex funebrali ipsorum interitûs pulvere, ad ulteriora fidelia Majestatis Vestræ Sacratissimæ, & totius Christianitatis servitia sublevati reviviscant, Quod dum sub auspicatissimo Justitiæ & Clementiæ Majestatis Vestræ Sacratissimæ Patrocinio se obtenturos sperant, Eidem Majestati Vestræ Sacratissimæ diuturnum & felix gubernium, gloriosumque contra omnes hostes Imperium concordibus votis apprecantur.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis
Domini Domini ipsorum Clementissimi

humillimi perpetuoque fideles Subditi

Sopronii die 22. Nov. Anno 1681.

Universi Status & Ordines Regni Hungariæ, Partiumque Eidem annexarum, ad præsentem Generalem Regni Diætam convocati.

XXXIII.

Iterata Suæ Majestatis Sacratissimæ Resolutio, ad Secundariam Statuum & Ordinum Replicam facta.

Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus &c. assignandum. (L.S.)

SAcratissima Cæsarea atque Regia Majestas, Dominus Dominus noster Clementissimus, iteratę demissæ Inclytorum Regni sui Hungariæ, & Par-

Partium Eidem annexarum Statuum ac Ordinum, ad secundariam benignam suam Regiam resolutionem; porrectæ Replicæ continentias, abundè sanè simul & Clementissimè intellexit, eatenusque pari Regia Clementia, hoc ut sequitur, modo & ordine identidem se resolvere dignata est: nimirum

Eadem Sua Majestas Sacratissima neutiquam putaret, Inclytis Statibus & Ordinibus quidpiam superesse, quod benignissimæ Suę Regiæ resolutioni, Die 9. modò labentis Mensis datæ, deesse possit: cùm Paterno affectu plena, & omnia ibi jam essent comprehensa, quæ Salvâ Regiâ dignitate concedi unquam potuissent; Eapropter etiamnum inhæret, quoad Officium Palatinale Articulis hac super re citatis, signanter verò Articulò 3. Anni 1608. ante Coronationem condito: Sigillis tàm Gubernialibus, quàm Locumtenentialibus per avocationem sufficienter abolitis.

Neque ad *Primum Punctum* aliquid restat superaddendum, sed in omnibus, unà cum Articulis hoc concernentibus repetitur, jamque Cancellariæ Aulico-Bellicæ mandatum est, ut recentioris pacis cum Turca initæ Puncta, per Regiam suam Cancellariam Hungaricam Aulicam, cum iisdem Statibus & Ordinibus communicet.

Ad Secundum. Ut miles jam quaqua versum dispersus, & plerumque ignotus, præterita cujusvis damna resarciat, inefficax opus creditur, neque Amnistiæ consentaneum: Officialium tamen iniquis exactionibus & excessibus, quantum fieri poterat, jam antea provisum est.

Cœterùm Patentes, ut modalitate petitâ expediantur, benignè annuit Sua Majestas Sacratissima, neque eidem aliquid poterit esse gratius, quàm ut miles Campestris & Externus, sedatis præsentibus motibus, propediem ex Regno educi queat.

Reliqua quoad evacuationem aliquarum Arcium, & dispositionem Præsidiorum, nec non Reparationem eorum, quæ diruta sunt, cum hæc talia pro statu & ratione Belli necessariò ordinari debeant, remittuntur ad Suæ Sacratissimæ Majestatis priora responsa: Salva semper intervenientis Domini Comitis Palatini authoritate, secundùm Articulos citatos permanente.

Abolitio novorum & insolitorum Vectigalium, etiam Cameram Hungaricam, ut extendatur, contenta manet Sua Majestas Sacratissima: & quia Ponte Posoniensi uti noluerint, iis liberum sit, per navem transgredi. Et ita se vectigali ad conservationem illius Pontis necessariò eximere.

Ad Tertium Punctum. Sacratissima Sua Majestas responsum jam datum,

Digitized by Google

tum; utpotè omni juri & Articulis consentaneum repetit patentque condemnatorum hæredibus Regiæ gratiæ fores.

Ratione Comitis Georgii Illyeshazy, quamvis non deessent rationes Suæ Sacratissimæ Majestati, ob quas considerationem quoad ejus Personam haberet, nihilominùs tamen ad fidelium Statuum & Ordinum humillimam intercessionem eundem dimitti faciet.

Quoad Sabarienses, Meszlenienses, ac de Vecse & Bagyckienses, Sua Majestas Sacratissima jam benignè demandavit, amicabilem superindè compositionem institui, quâ non succedente, revisio causæ ipsorum rejiciatur ad futura Extraordinaria Judicia primitùs celebranda, ibidemque finaliter decidatur: medio verò tempore contenta redditur Sua Majestas Sacratissima, ut ipsis de securitate Articulariter provideatur.

In negotio Oerseghiensi, auditis Partium informationibus per Dominum Comitem Palatinum, Sua Majestas Sacratissima incumbet in eo, ut Familiæ Bottyanianæ nulla fiat injuria.

Quoad Officiales Ovarienses Sua Majestas Sacratissima clementissimè demandavit, ne Juribus querulantium contraveniatur, & ab omnibus abstineatur violentiis ac novitatibus.

Ad Quartum. Patentes de sublatis Repartitionibus & Accisis publicandas, concedet Sacratissima Sua Majestas. Acceptat insuper benignissimè oblatum subsidium Annonarum: ut tamen hoc ipso jam tempore, quo Exulantes Turcis & Transylvanis mixti, hostiles suas exercent infestationes, miles ad certum numerum, & ad Confinia redigi possit ac debeat: ipsimet Regno maximè foret nocivum & periculosum.

Annonæ pretium, ne in fraudem Regiæ Cameræ adaugeatur, quando illa ad Annonam accedit, coëmendam providendum erit.

Ad Quintum. Inhæret Sacratissima Sua Majestas responso priori tantâ benignitate pleno, ut nihil amplius in hoc desiderari possit, speratque Inclytos Status & Ordines huic acquieturos esse.

Ad Sextum. Non minùs in hocce Religionis Puncto clementissimâ Suæ Majestatis declaratione fore contentos, & ita originem omnis in hoc Regno dispendiosi dissidii sublaturos esse confidit Sua Majestas Sacratissima.

Ad Septimum: Inhæret & in hoc Puncto Septimo Sacratissima Sua Majestas priori benignissimæ resolutioni, omninò propensa, Articulis circa Dominum Præsidem, & Officiales Hungaricæ Cameræ allegatis, quamprimùm se occasio proximæ vacantiæ offeret, satisfacere: neque enim ea est temporum felicitas, ut stante hac Diæta omnia quamprimùm expediri possint.

Ad

Ad Octavum. Ut Provinciarum vicinarum Status, Commissarios suos ad rectificationem metarum deputandos protinùs denominent, jam iis mandatum fuit: quorum nomina & personæ deindè memoratę Cancellariæ Regio, Hungaricæ Aulicæ statim declarabuntur.

Neque Juri consonum creditur, ut Dominus Archi-Episcopus Colocensis, contra expressam suam voluntatem, ad exercendam liberalitatem cogi debeat: renoventur tamen in omnem casum Articuli de dictæ Arcis Lublyo, & Tredecim Oppidorum reluitione conditi.

Ad Nonum. Apparet ex ipsa Clementissima Suę Majestatis resolutione, benignitatem Regiæ intentionis circa collationem Beneficiorum, & Officiorum abundè, & quidem secundum Articulos esse declaratam.

Ad Decimum. Cum ea, quæ circa Justitiæ administrationem in hoc Puncto monita sunt, accedente Consilio Domini Palatini, & præcipuorum Procerum, Inclyto Regno proficua fore judicata fuerint: omninò crederet Sua Majestas fideles Regnicolas ad promovendum incorruptæ justitiæ bonum, facilè assensuros esse.

Ad Undecimum & Duodecimum. Siquidem in his duobus Punctis concors esset Statuum & Ordinum, cum benignissima Suæ Majestatis resolutione intentio: nil superest, quod adnecti possit, cum in hoc quoque Sacratissima Sua Majestas consentiat, ut Amnistia eo modo & eâ Lege, quâ concessa esset, Articulis Regni inseri queat.

Ad Triplicam Dominorum Statuum & Ordinum Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ.

GRatum admodùm & acceptum est Sacratissimæ Suæ Majestati, Dominos Status & Ordines dictorum Regnorum, ejusdem benignissimo Responso promptè acquievisse, etiam num clementissimè contestanti sibi imprimis restaurationem militis Banalis curæ futuram; Insuper & nationalium, quoad Punctum Octavum condignam rationem habendam esse.

Quæ porrò in Puncto Decimo Septimo expressa, ut effectui dentur, sollicitè curabitur.

Neque abnuit Sua Majestas Sacratissima, ut Commissariis in Puncto Decimo Nono memoratis autoritas attribuatur, quatenùs ea, quæ inter se deliberativè concluserunt, exequi possint, dummodò Sacratissimam Suam Majestatem de suis conclusis priùs informent, & clementissimum ejusdem assensum desuper petant.

Quæ cum ita se habeant, & Suam Cæsaream ac Regiam Majestatem gravissima aliorum suorum Regnorum, terrarum & Provinciarum ne-

Digitized by Google

gotia, aliò avocent; ac tàm huic Inclyto Regno, quàm aliis suis ditionibus competenti modô providere omninò urgerent, obligent & obstringant: Idcircò minimè dubitat Inclytos Regni Status & Ordines cordi habituros, quod jam tanto temporis tractu, ingentibus cum expensis hic substiterit; Inclytorum Statuum Gravamina magnâ longanimitate perceperit, eisque in plurimis, & potioribus Paternè assenserit, Palatinum eligi curaverit, ejus authoritatem restabiliverit, contraria aboleverit, Repartitionem sustulerit, antiquas Leges & Art. confirmaverit, gravissimum Religionis pũctum, pro toti⁹ Regni tranquillitate determinaverit, & ne propter hanc ulteriora oriantur scandala, Paternè providerit, manum suam & opem Regiã, ad universalem Regni securitatem & tranquillitatem obtulerit, se insuper quantum ærarii vires & ratio patitur, ad majorem nativi militis sustentationem promptam exhibuerit; disciplinæ militaris rigorem approbaverit, & modum circa delicta severè castiganda, Suâ Regiâ authoritate confirmaverit; hæredibus condemnatorum, si ad ejus clementiam confugerint suæ gratiæ fores minimè clauserit, sed easdem Paternè aperuerit; nec non in casu vacaturorum Officiorum, quantam rationem nationalium habeat, reipsâ contestaturam se declaraverit; omnibus etiam portum & refugium ad Suam Clementiam recursuris concesserit; Amnistiam pariter clementer promulgaverit; Et unô verbô, infinita signa amoris, clementiæ, & Paterni affectus sui ediderit, neminemque, nisi pervicaces, & ad debitam fidelitatem redire nolentes, à sua gratia & benignitate excluserit; imò se etiam declaraverit, quod & reliqua Regni negotia, super quibus declaratio hucusque sequi non potuit, in proxima Regni Diætâ feliciter determinare velit; Prætereaque ordinaverit, ut Jus & Justitia sine personarum discrimine exactè administretur, neque ea, quæ præcedentis belli turbine contra Leges & Articulos peracta, in ullam consequentiam trahantur, sed in omnibus & singulis, secundum rectum Justitiæ tramitem procedatur. Insuper ut Regnicolæ nullo insolitorum vectigalium onere graventur, sed Regno plena, & ab antiquo solita commerciorum libertas (abolitis quæ per temporum injurias commissa sunt) restituatur. Inde Altissimè memorata Cæsarea & Regia Majestas omninò confidit, nec de hoc in minimo ambigit, Inclytos Regni Status & Ordines hæc omnia ante oculos habituros, clementissimumque Suæ Majestatis affectum, & quod officio Suo Regio pro hac vice satisfecerit, submississimè agnituros, nec conclusioni modernæ Diætæ obicem posituros, sed tanta Suæ Majestatis Sacratissimæ fatigia, gratô animô acceptaturos, & tandem ex parte etiam sua hanc Diætam ad optatum felicem finem deducturos, maximè cum ita Altissimè memorata Sua Majestas abire intendat, ut iterum proximè feliciter redeat, & Regno etiam aliundè sua cura, sollicitudine,

dine,

Digitized by Google

dine, ac officiis provideat. Agnovisse hoc jam præcipuos ex totius Regni Statibus, & propterea se devotissimè erga Suam Majestatem etiam declarasse, contentos nimirum ipsos esse benignissimis Resolutionibus; Agnituros sine dubio & cœteros Regnicolas, nec admissuros, ut Epilogus & finis Diætæ hujus, tot argumentis in contrarium stantibus, ulterius differatur, sed potiùs ad Articulorum confectionem, & formationem quantocyus procedatur, & per hoc singulis via sternatur, etiam illa, quæ adhuc restant, suo tempore ad felicem finem promovendi.

Quæ omnia cum Eadem Sacratissima Sua Majestas sibi ab Inclytis Regni Statibus & Ordinibus omninò promittat, ac ipsius quoque Regni necessitas & utilitas hæc evidenter exposcat; Inde omninò confidit, singulos tanquam omnes, & omnes tanquam singulos, Suæ benignissimæ admonitioni acquieturos esse.

De reliquo Universis & singulis fidelibus suis Statibus & Ordinibus gratiam atque clementiam Suam Cæsareo-Regiam iteratâ Paternâ expressione in omne tempus benignissimè confirmat.

Per Sacratissimam Regiamque Majestatem Sopronii die 28. Nov. Anno 1681.

Johannes Maholany. Mppr.

XXXIV.

Copia novissimæ Pacis Turcicæ, in Anno 1664. Die 10. Mensis Augusti, ad Pagum Vasvar conclusæ.

Cùm per proximos motus in Transylvania suscitatos tàm graves controversiæ eruperint, ut apertum bellum annum indè exortum sit; Ideò ut alma pax in solatium & tranquillitatem afflictæ plebis denuò erigeretur, per utriusque partis Plenipotentiarios, ex parte quidem Serenissimi ac Potentissimi Romanorum Imperatoris, per ejusdem Consiliarium, & in Porta Otthomannica Residentem, Dominum Simonem de Reningen; Ex parte verò Serenissimi & Potentissimi Turcarum Imperatoris, per ejusdem Supremum Vezirium, & Supremum Generalem, Illustrissimum & Excellentissimum Dominum Achmet Bassam, ad ratificationem tamen utriusque Imperatoris, sequentes Articuli conditi sunt, ac stabiliti.

Articulus 1. Ut Civitates & Arces in Transylvania milite Cæsareo munitæ, Principi & Statibus Transylvaniæ restituantur; priùs tamen utriusque partis exercitus uno eodemque tempore è dicta Transylvania exeat;

Digitized by Google

exeat; Utque memorata loca, cœteraque omnia in Transylvania in antiquo tranquillo statu permaneant, & quando Principatum vacare contigerit, ut Status Transylvaniç, secundum illorum antiquas imperiales Capitulationes, liberè Principem inter se eligere possint, & fruantur omnimodè antiqua Libertate, prærogativis & Jurisdictionibus.

Articulus 2. Ut duo Comitatus *Sacræ* Cæsareæ Majestatis, Szatthmar & Szaboles, prouti etiam cœteri Comitatus Regni, & Provinciæ Suæ Majestatis, cum suis Statibus Subditis, Civitatibus, Arcibus, Palankis & Pagis, cœterisque omnibus appertinentiis, in specie liberis haydonibus, ad Suam Majestatem ab antiquo spectantibus, cum illorum Oppidis, & Castellis, nullo modo & sub nullo penitùs prætextu molestentur à Turcis, vel ipsismet Transylvanis, sive ab illorum Principe, aut à quovis alio prætensionibus, tributis, aut Contributionibus sublata omni tali prætensione, si quæ hactenùs fuit, & imposterùm nihil ampliùs petatur.

Articulus 3. Muniet quidem *Sacra* Cæsarea Majestas, pro Securitate suarum ditionum de more in aliis Confinibus hactenùs observatô, Civitates & Arces in dictis duobus Comitatibus, & illis limitibus existentes, in specie verò Szatthmar, Karoly, Kalo, Ecset, & si quæ alia plura pro libitu munienda videtentur, nulli tamen formales exercitus, cum Generalibus introducantur; Quod similiter in Confinibus Turcicis, & Transylvanicis observandum: Castellum verò Szekelhid ad præcavenda mala, quæ utriusque partis ditionibus indè eveniri possent, cum fortificationibus destruatur, & solo adæquetur, ita ut neutri parti, nec cuiquam alii, licitum sit illud ullo sub prætextu rursus exstruere, fortificare, aut milite munire.

Articulus 4. Ut Filius Rakoczy, Filius Johannis Kemeny, aut alius ex Superiori Hungaria cohibeantur, ne cum copiis auxiliaribus in Transylvaniam redeant, & novos motus suscitent, quod vicissim à parte Turcarum & Transylvanorum, erga ditiones & Comitatus Suæ Majestatis Cçsareæ observetur.

Articulus 5. Ut non sit licitum receptaculum & fomentum dare malis hominibus, aut inimicis utriusque Cæsaris.

Articulus 6. Ut fortalitium propè Canisam, occasione dictorum motuum erectum, neutri parti reædificare, aut præsidio munire liceat.

Articulus 7. Ut omnes, qui in supramemoratis motibus Transylvanicis utriusque partis recurrendo adhæserunt, in suis bonis, juribus, honoribus restituantur, neque idcircò molestentur, sintque obedientes illorum Principibus, non causent damna in illa Provincia.

Articu-

Digitized by Google

Articulus. 8. Ut liceat Suæ Majeſtati Cæſareæ circa Vaghum, & Guttam trans Vaghum ſitam, ad defenſionem ditionum ſuarum fortalitium erigere.

Articulus 9. Nullæ penitus poſthac, tàm ex unâ, quàm ex alterâ parte hoſtilitates, & excurſiones committantur, contra facientes ſeverè puniantur; ut denique utriusque partis miles in fræno & diſciplina teneatur, revocentur ex utraque parte exercitus à Confinibus Hungariæ & Tranſylvaniæ, & non revertantur, quatenùs afflicta plebs in perfecta tranquillitate vivere poſſit.

Articulus 10. Pro majori ſtabilimento pacis, & bonæ amicitiæ inter ambos Potentiſſimos Imperatores concluſum eſt, ut hæc alma pax, DEO favente, à dato præſenti per viginti annos durare debeat, quæ poſt quatuor menſes, in ſolatium & publicum gaudium, per ſolennes Legationes, & Diplomate ſolenniter confirmabitur, & afferet Romanorum Imperatoris Legatus, in ſignum amicitiæ, ſpontaneum munus, valoris Ducentorum millium florenorum, ita tamen, ut ex parte Portæ Otthomannicæ ſimiliter cum ſolenni Legatione, cum condignis & condecentibus muneribus correſpondeatur, & fiat permutatio Legatorum, juxta morem hactenùs obſervatum, in loco & modo conſueto; Cœterum Articuli Priorum Capitulationum, qui à tempore pacis in Sitvatorok per poſteriores Capitulationes expreſſè non correcti, aut immutati ſunt, omnes in ſuo vigore permaneant; Super his Decem Articulis duo ejusdem tenoris Inſtrumenta Pacis, idiomate latino & Turcico confecta, atque à dictis Plenipotentiariis interim ſubſcripta, ſigillisque corroborata, & ſecundum conſuetudinem permutata ſunt, ita ut latinum in manibus dicti Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi Domini Supremi Vezirii manſerit, Turcarum verò dicto Domino Reſidenti traditum, & ad aulam Cæſaream transmiſſum ſit. Actum in Caſtris Turcicis ad Pagum Vaſvarum 10. Menſis Auguſti Anno 1664.

XXXV.

Tertiaria Statuum & Ordinum Regni Hungariæ Replica.

Licet quidem benigna Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ Cæſareo-Regia Tertiaria reſolutione Fideles Status & Ordines Regni, Partiumque Eidem annexarum, debitæ fidelitatis & ſubmiſſionis reverentiâ acceptâ, deſideratis humilium votorum ſuorum ſuſpiriis, plenaque fiduciâ, & animorum ſuorum conſolatione perdemiſsè intellexiſſent: quod Eadem

Majeſtas Veſtra Sacratiſſima, per ejusdem benignæ reſolutionis epilogi vigorem in plurimis & potioribus mentionatorum fidelium Statuum & Ordinum Regni Gravaminibus, benignum ſuum aſſenſum præbuerit; Libertatem Regno reſtituerit; Leges & Articulos confirmaverit; graviſſimum Religionis Punctum pro totius Regni tranquillitate determinaverit; diſciplinę militaris rigorem approbaverit; ac denique modum circa delicta ſeverè caſtiganda, Suâ Regiâ authoritate confirmaverit; omnibus etiam portum & refugium ad ſuam clementiam recurſuris conceſſerit. Quia nihilominùs nonnulla infra ſcripta nimirùm Gravaminum ſuorum Puncta, ad mentem benigni Diplomatis Regii, dictamenvè poſitivarum Regni Legum ſuperindè ſancitarum, clementiùs reſtarent reſolvenda, complanandaque.

Et Primo quidem. De præteritis militum officialium, à potiori intra, & non extra Regnum conſtitutorum, puniendis exceſſibus, ac conſequenter implorata damnificatis impendẽda ſatisfactionis medela: Similiter militis in Regno ad tempus tolerandi, proprio ære adjuſtandâ ſuſtentatione, ejusdemq; ex Arcibus, ac Liberis quoq; Civitatibus, Oppidisq; Privilegiatis, ad ſenſum Gravaminis & Replicarum ſuarum, ubi videlicet minùs neceſſari⁹ eſſe in comperto haberetur, effectivâ eductione; munitionũ demùm ex Arcibus, ac armorum è liberis Civitatibus ademptorum & ablatorum reſtitutione; militis prętereà nativi ad Confinia (à quorũ bona diſpoſitione, non modò Regni, verùm etiam Vicinarum Provinciarum ſalus dependeret, ac quotidiano experimento ſub prę ſenti etiam Dięta, cum tot centenarum animarum Chriſtianarum jactura, periculum longiorem moram non pateretur) Articulariter fienda reductione; Non abſimiliter Officiorum ſecularium, ac beneficiorum Eccleſiaſticorum exequendâ collatione; reſtitutione item bonorum hæredibus ſeu Orphanis, qui jam ſeſe pro ſui reſtitutione apud Majeſtatem Veſtram Sacratiſſimam humillimè inſinuaſſent, ac aliis, pro quibus fideles Status & Ordines ęquè ac illis, ex fundamento Legum Patriarum demiſſam ſuam interpoſuiſſent inſtantiam, aliàs per Fiſcum Regium contra conſuetam Juris viam, apertasque Regni Conſtitutiones Diplomatibus Regiis roboratas, confiſcatorum fiendâ; Ac præterea de caſſatione Literarum Reverſalium, ſecundùm Gravaminis ſenſum, vel maximè his motibus exactarum, Proceſſuumque Fori Delegatorii, ac his ſimilium eodem in Gravamine & Replicis declaratorum præjudiciorum annihilatione; ſimiliter de Diplomatica in negotio Religionis à parte Status Catholici & Evangelici poſtulata ſatisfactione; actuali porrò Domini Cameræ Præſidis contra expreſſas Regni Leges introducti amotione; Negotii denique Oerſegbienſium juxta

juxta demissam Regnicolarum instantiam, clementer resolvendâ determinatione.

Et siquidem, Clementissime Domine, hæc quoque essent potiora seu principaliora eorundem fidelium Statuum ac Ordinum Regni Gravaminum Puncta, quę vel maximè in labefactionem Nobilitaris prærogtiavæ per majores ipsorum sanguine utpotè & armis laudabiliter partæ, perque felicis reminiscentiæ Majestatis Vestrę Sacratissimæ Prædecessores, gloriosos videlicet Hungarię Reges, ac Majestatem quoque Vestram Sacratissimam benignè confirmatæ, Publicarumque Regni Constitutionum, Jurium & Privilegiorum, imò benignorum etiam Diplomatum Regiorum palpabile vergerent in præjudicium: Hæc ea essent, quę tranquillando Regno, Vicinarumque Majestatis Vestræ Sacratissimę Provinciarum procurandæ saluti & conservationi non minùs proficua, quàm summè necessaria esse dignoscerentur; hæç denique illa, quorum benignâ annuentiâ Majestas Vestra Sacratissima avulsorum à debita fidelitate animos, in indissolubilem unionem, ac tranquillitatem Regni secundandam, benignumque gratiarum suarum pertraheret sinum, & promptum fidelitatis obsequium.

Quapropter ad Portum & Refugium, Clementiam nimirùm, ac innatam benignitatem Majestatis Vestræ Sacratissimæ ulteriùs quoque humillimè recurrentes, Iidem fideles Status & Ordines super his ipsorum Punctis ac demissis postulatis, pro contento sui benigniorem supplices implorant præstolanturque resolutionem.

Regnorumque Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Statuum & Ordinum ulterior demissa instantia.

INtellexerunt demissè Status & Ordines, qualiter ad humiles apud Majestatem Vestram Sacratissimam per eosdem factas iteratas Replicas & instantias, inter cæteras clementes resolutiones suas, militem Banalem, Superioribus prætentis temporibus exauctoratum, aliàs pro Conservatione dictorum Regnorum, Provinciarumque Majestatis Vestræ Sacratissimæ hæreditariarum, extremè necessarium restaurandum: Quemadmodùm etiam postulationem ex integro, in Decimo Septimo Puncto prætactarum humillimarum postulationum, præmissorum Statuum expressatam, clementer effectuandam, ex innatâ suâ pietate, & benignitate sese Paternè declarasset, & Status eo in passu non minimè exhilarasset: Quia tamen præmissi Status non absque discrimine quotidiano & formidine mali, evidentis Patriæ summo cum desiderio hucusque optatum effectum expectassent, periculumque in mora experti fuissent.

 Id-

Digitized by Google

Idcircò Majestati Vestræ Sacratissimæ pro benignis Mandatis, durante adhuc hac Diætâ, ad præmissas binas petitiones suas effectuandas, indilatè elargiendis, & iis, quibus competit, dirigendis, humillimè supplicant, immensas Majestatis Vestræ Sacratissimæ Clementiæ, tàm pro his, quàm reliquis instantiis suâ methodô benignè resolutis, referentes gratias, confidentesque in pietate innata præmissâ, eas quoque juxta postulationes hucusque demissè exhibitas, observatisque Legibus eum in finem citatis, tàm Regno, quàm Liberis Civitatibus deservientibus Majestatem Vestram Sacratissimum petito effectui, fine dilatione mancipari pari modo clementer procuraturam.

Reliqua verò Gravamina, & instantias suas in benignis iteratis Vestræ Majest. Sacratissimæ resolutionibus minus specificata, & expressas, pro clementer resolutis, & Articulis inserendis habenda, ac demissè censendas esse intelligunt, acceptantque. Eandem Majestatem Vestram Sacratissimam diu feliciter imperantem, ac super universis hostibus gloriosè triumphantem, diutissimos supervivere in annos fidelissimis comprecantur votis.

Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis
Domini Domini Ipsorum Clementissimi

humillimi perpetuoque fideles
Subditi,
Universi Status & Ordines Regni Hungariæ, Partiumque Eidem annexarum, ad præsentem Generalem Regni Diætam convocati.

Sopronii Die 3. Decembr. A. 1681.

XXXVI.

Processus Inductionis Sacræ Regni Hungariæ Coronæ in Civitatem Sopronienſem.

JUxta morem antiquum & consuetudinem observari solet, circa Regi-nalem Coronationem, ut tempore Diætæ Dominus Regni Palatinus, factâ desuper, coram Inclytis Statibus & Ordinibus Regni Hungariæ, Partiumque Eidem annexarum propositione, accedat Suam Majestatem Cæsaream & Regiam, & nomine Regnicolarum humillimè instet, quatenùs Augustissimâ Imperatricem ipsis in Reginam coronari benignè concedat; tandem ipsi quoque Regnicolæ triduò post instituta ex mutuo consensu solenni ad Imperatricem ablegatione; Eandem cum aggratulatione pro Coronatione præmissa brevi oratione demissè invitant. Quæ ipsis Sta-
tibus

tibus & Ordinibus benignas pro ejusmodi devotione agens gratias, pro Patrocinio se clementer offert.

Tandem ambo Domini Conservatores *Sacræ* Regni Coronæ Posonium proficiscuntur, ac eandem unà cum Regalibus insigniis, prout illa occlusa, obsignataque ibidem in Arce deposita sunt, huc Sopronium deferunt, factaque eatenus per Dominum Regni Palatinum Civitati Posoniensi intimatione.

Qui Conservatores jam expediti, cistam *Regalium* Insigniorum rhedæ sejugi apertæ ex Aula *Suæ* Majestatis Sacratissimæ suppeditatæ imponunt, atque è numero ordinariorum excubitorum Arcis Posoniensis Viginti Germanos, & totidem Hungaros assumunt, qui novis vestibus ex more consueto donantur.

Pro comitiva autem dictę *Sacræ* Coronæ, binæ equirum Cataphractorum Comitis Karoly Palffy turmæ Posonii in ripa Danubii comparent, expectantes ejusdem Coronæ deductionem, in cujus comitivam sunt destinati.

Domini Conservatores pernoctant hodie in Szeleskut, Oppido Domini Palatini, & pro majori securitate vigilias ibidem militares instituunt.

Introductio verò ejusdem Sacræ Coronæ die Crastina huc Sopronium circa horam Secundam vel tertiam pomeridianam sequitur tali modo.

1. Extra portam Suburbii procedunt binæ Cataphractorum equitum turmæ Posonium in comitivam Sacræ Coronæ destinatæ, & cum ea huc reduces.

2. Has subsequetur una Cohors Domini Regni Palatini militum hastatorum cum vexillis.

3. Hanc sequitur alia Cohors ejusdem Domini Palatini Aulica, pellibus tigrinis & Leopardinis ornata, cum tubis & tympanis.

4. Procedent Nobiles & Magnates *Regni* equitantes.

5. Similiter equitabunt Cubicularii Suæ Sacratissimæ Majestatis utriusque nationis.

6. Dominus Banus Croatiæ medius inter duos Proceres.

7. Dominus Regni Palatinus ab utroque latere Proceres habentes, stipatus prætereà utrinque certo famulitio suo seu guardia.

8. Rheda aperta cum sex equis, in qua bini Suæ Majestatis Sacratissimæ Commissarii superiori loco, deindè Domini Conservatores Coronæ sedebunt, Cistam in medio currus ornatè tectam habentes.

9. Stipant Rhedam ex uno & altero latere haydones & pedites Germani in Coronæ excubias alioquin destinati.

10. Hanc sequentur Dominorum Ministrorum Cęsareorum ac Episcoporum & Prælatorum, nec non Magnatum Hungaricorum Rhedæ ab iisdem Dominis occupatæ, vel ad pompam vacuæ.

11. Tandem agmen claudent binæ aliæ Cataphractorum equitum turmæ.

12. Hoc ordine fit ingressus per portam Suburbii penes S. Michaëlem, ac plateam penes Residentiam Domini Palatini.

13. Urbem ipsam intrabunt per portam Hungaricam penes Domum Consilii Magnatum, ac per plateam, quam Sua Majestas Sacratissima inhabitat, in Curiam usque descendent.

14. Deponitur Corona in Curia Civitatis Sopronienfis, adhibitis militum vigiliis, qui pro custodia ejusdem Posonii ordinariè excubant, id quod curæ Conservatorum relinquetur.

15. Die exceptionis Coronæ insequenti, Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas cum clavibus mittet Suos Commissarios, qui unà cum Inclytorum Statuum Deputatis, quemadmodum Posonii usitatum est, cistam recludant, & Regnicolis in Curiæ conclavi majori, reliquo autem populo per fenestram Sacram Coronam & Insignia spectanda Dominus Regni Palatinus præbeat.

16. Pridie Coronationis peragendæ cista cum Regalibus absque splendoris apparatu per templum & monasterium Patrum Franciscanorum in Aulam & cubiculum Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis transferetur, ut insignia in ipsa celebri functione referri queant.

17. Ipso Coronationis die juxta Pontificalia antiquitus ritè observata peragetur Coronatio ipsius Augustissimæ Imperatricis, more consueto, summa cum solennitate in Templo Patrum Franciscanorum.

Quibus feliciter peractis Mensæ sequentur tali modo:

1. Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestates, in qua Legati & inter duos Archiepiscopos Palatinus Regni.

2. Magistri Curiæ Regiæ, cui etiam assidebunt Ministri Suæ Majestatis Sacratissimæ, ac alii Primarii Magnates, tàm Hungari, quàm Germani, circiter quadraginta octo.

3. Binæ Mensæ, quibus accumbent, Domina Palatinissa, ac alię Primariæ Magnatum Conjuges, & Domicellæ cum Aulicis mixtæ.

4. In alia conclavi mensæ rotundæ, una pro Illustrissimo & Reverendissimo Domino Cancellario Hungarico, & altera pro Magnifico Domino Personalis præsentiæ Regiæ Locumtenente, in his erunt Barones & commembra Tabulę Regiæ Judiciarię.

5. Rursum erunt mensæ rotundæ tres pro Deputatis Comitatuum.

6. Ite-

6. Iterum in alio triclinio stratæ erunt duæ mensæ pro Abbatibus & Præpositis.

7. Item in tribus rotundis mensis Officiales eorum, qui ex Comitatibus & à Magnatibus ablegati sunt.

8. In quatuor mensis rotundis Civitatum, Baronum & Viduarum Ablegati.

Erunt mensæ rotundæ numero quatuordecim, qualibet mensa rotunda capiet personas quindecim.

Reliquas functiones Dominorum Magnatum juxta antiquam consuetudinem ordinabit Dominus Comes Palatinus.

XXXVII.

Iterata Resolutio Suæ Majestatis Sacratissimæ, ad Tertiariam Replicam Statuum & Ordinum Regni Hungariæ facta.

Reverendissimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus ac Magnificis, Egregiis & Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumspectis Universis Regni Hungariæ & Partium Ei annexarum Statibus ac Ordinibus, nunc Soproni in Generali ejusdem Regni Diæta congregatis, assignandum. (L. S.)

SAcratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis Domini Domini nostri Clementissimi nomine, Universis Regni Hungariæ, & Partium eidem annexarum Statibus ac Ordinibus in generali eorundem Conventu hic Sopronii congregatis, & præsentibus significandum.

Eandem Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem, ex ipsorum Inclytorum Statuum ac Ordinum supplici Libello, ad Tertiariam Suam resolutionem porrecto, benignè intellexisse, quid ultra clementissimam quadruplicam denuò humillimè rogare susceperint.

Verùm cum ex ipso Augustali ore, Eorundem Ablegati jam audiverint, non ambigere Sacratissimam Suam Majestatem, Inclytos Status & Ordines hactenùs benignè resolutis acquieturos, & grato animo consideraturos, quæ & quanta illis modernæ Diætæ cursu sint benignissimè concessa, & quàm pauca pro hac vice negata, aut dilata; Eosdem autem non posse felicius viam planam sternere, ad Diætam sequentem, quàm si sine ulteriori mora absoluturi sint præsentem: Cum nullibi ea sit temporum felicitas, ut simul & semel omnia Regni negotia absolvi queant, &

totius

totius orbis testimonio edoceri sæpius illa, quæ ad tempus differuntur, deindè non solùm commodius, sed & feliciùs terminari.

Idcirco altè memorata Sua Cæsarea & Regia Majestas idipsum Inclytis Regni Statibus & Ordinibus scriptotenus hisce benignissimè significare jussit, eosque firmiter assecurare, quòd citra omnem illorum ambiguitatem cuncta ea, quæ per hujusce. Diætæ Tractatus conclusa & inita sunt, promptè & certo effectui mancipari, & nihil intermitti debeat, quò Inclyti Status & Ordines ejusdem Sacratissimæ Suæ Majestatis Paternum affectum, & inclinatissimam voluntatem, universo Regno suam tranquillitatem, & florentissimam restaurationem reddendi ipso opere experiri queant.

Non dubitare proindè Sacratissimam Suam Cæsaream Regiamque Majestatem, omninò fideles Suos Status & Ordines suam clementissimam resolutionem benignæ suæ Triplicæ Epilogo annexam cordi habituros, nec ullatenùs porrò esse moraturos, secundum tenorem benignarum Regiarum resolutionum Articulos formare, & præsentem in multos jam Menses protractam Diætam tandem finire, re ipsa obstendendo, quantoperè laborent, se non deesse voluntati Regis, qui tantam operam impendit, & etiam finitâ hac Diætâ impendit satisfaciendi Regni desideriis. Sed & Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ ac Sclavoniæ Status & Ordines benignissimè assecurantur, omninò in effectum deducenda, quæ super illorum Gravaminibus clementissimè resoluta sunt. De cætero Eadem Sua Majestas Sacratissima universis & singulis Cæsaream & Regiam Suam Gratiam benignissimè in omne tempus confirmat.

Per Sacram Cæsaream Regiamque Majestatem Sopronii Die 4. Mensis Nov. 1681.

Johannes Maholany. Mppr.

XXXVIII.

Ad Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem, Statuum & Ordinum Regni Hungariæ Evangelicorum in negotio Religionis Sexta Supplicatio, dùm videlicet dictis Statibus & Ordinibus post exhibitionem Publicorum Regni Gravaminum, & demissarum Replicarum suarum Diplomatica satisfactio impertita non fuisset, exhibita & præsentata Die 8. Decembris. Anno 1681.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas, Domine Domine nobis Clementissime.

BEnignè recordari dignabitur Majestas Vestra Sacratissima, qualiter-

Digitized by Google

ternam sub decursu hujus Diætæ iteratis nostris, iisque demissis Memorialibus, miserum in modum, compluribus retroactis Annis turbatæ, & per continuas persecutiones afflictæ Religionis Evangelicæ Statum, humillimè repræsentaverimus; imò sicut in prioribus, ita singulariter ante discessum Majestatis Vestræ Sacratissimæ hinc Neostadium, pro clementissimo restitutionis in integrum & consolationis nostræ, Principaliumque nostrorum remedio, lamentabiliter institerimus: quia tamen, utut fiduciâ pleni, hactenùs nullam talem resolutionem impetrare potuimus, quæ expectationi nostræ, in benigno Diplomate Regio, ac Legibus Regni fundatæ, satisfacere potuisset. Præterquam enim, quod nullam à Majestate Vestrâ Sacratissimâ, ratione cassationis Proscriptionum, Literarumque Cessionalium, Reversalium ac Contractualium, in negotio Religionis emanatarum, quarum contextu, Pastores Ecclesiarum Evangelicorum, nec non Collegiorum, Gymnasiorum, Scholarumque Professores & Rectores, aliique Studiosi, ab officiis ipsorum amoti, vel planè Regno ex esse jussi, plurimaque Templa, & eorum accessoria occupata sint; nullam etiam ratione restitutionis præscriptorum Templorum, Parochiarum, Collegiorum, Gymnasiorum & Scholarum, sicut & Xenodochiorum Evangelicorum, unà cum eorundem bonis, proventibus & aliis pertinentiis occupatorum, obtinuerimus resolutionem: Si iis, quæ in benigna Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutione continentur, acquiesceremus, à Diplomate Regio, Legibusque Regni penitùs recederemus. Ut enim Templa & Ecclesiæ, prouti eadem benigna resolutio innuit ab Anno 1670. occupata, præ manibus occupatorum maneant; ut item Religionis Evangelicæ Exercitium, aliàs vigore Diplomatis Regii, per universum Regnum in universis Dominorum, ac etiam ipsius Fisci bonis liberum, ad certa duntaxat, eaque incommoda loca, restringatur; ut denique Dominis Terrestribus, in negotio Religionis erga Suos Subditos aliquod absolutum jus supermaneat, & alia his similia, quæ in benigna Majestatis Vestræ Sacratissimæ resolutione continentur, toties repetito benigno Diplomate absolutè caverentur & prohiberentur: Sed & alia, memoratæ benignæ resolutioni inserta, quasi nullo præexistente Diplomate Regio, de novo Statui Evangelico tribui viderentur, quæ hac ratione Evangelicis circa resultum à Sacro Diplomate, Legibusque Regni, ac strictas eorundem instructiones acceptare, integrum minimè foret. Idcircò, cùm in præattactis prioribus memorialibus nostris in Generalitate saltem eundem conquassatum Religionis nostræ Evangelicæ Statum, Majestati Vestræ Sacratissimæ humillimè detexerimus, ut cò magis injuriarum nostrarum, per occupationem prædeclaratorum,

Digitized by Google

Templorum, Parochiarum, Collegiorum, Gymnasiorum & Scholarum; uti & Xenodochiorum Evangelicorum, ac omnis generis pertinentiarum & Proventuum perpessa moles in lucem prodeat, ad specificationem; eamque brevissimam, condescendere necessarium duximus; parati, si Majestatis Vestrę Sacratissimæ benigna voluntas ita clementissimè demandaverit, specialiter etiam circumstantias, actorumque eatenùs in rem Evangelicæ Religionis gravissimorum Authores describere.

Quanta ab Anno 1649. usque ad Annum 1655. præjudicia & damna sint Statui Evangelico illata sub initium Diætæ Anni ejusdem 1662. sub Literis A. & B. in paribus: Ab Anno verò 1659. usque ad dictum 1662. Annum, in speciali consignatione Majestati Vestræ Sacratissimæ, per Status Evangelici Ablegatos, in particulari audientia, debitâ reverentiâ, tùm temporis in Arce Posoniensi sunt exhibita; quæ cum in Conservatorio Majestatis Vestræ Sacratissimæ Inclyta Cancellariæ Hungaricæ in specie haberi non dubitemus, novâ hîc adjungendâ descriptione noluimus superflui esse: Si verò à Majestate Vestrâ Sacratissimâ nobis commissum fuerit, nullatenùs fideliter obsequiosam & humilem promptitudinem nostram, etiam hoc in passu, intermittemus. Ex adjunctâ itaque specificatione (quæ si per omnes circumstantias, uti præmissum, & quidem historicè conscribenda fuisset, in immensum volumen excrevisset) Majestas Vestra Sacratissima uberiùs clementer intelligere non dedignabitur, in quibusnam locis ab Evangelicis adempta sint, cum præmemoratis pertinentiis, & omnibus accessoriis, Templa, Collegia, Gymnasia & Scholæ, sicut & Xenodochia; quorum restitutionem, quod tàm instantissimè Status & Ordines Regni Evangelici, in Gravaminibus nostris utrinque, & quidem etiam Collectivo Regnicolarum nomine præsentatis, postulemus, idque ex dictamine conscientiæ, & strictâ etiam Instructione Principalium nostrorum, in benigno Diplomate Majestatis Vestræ Sacratissimæ Regio, & Legibus Regni fundatâ, facere compellamur, minimè nos contra Majestatis Vestræ Sacratissimæ authoritatem Regiam quippiam commissuros confidimus: præsertim, cum multa millia Evangelicorum eò redacti sint, ut non habitis templis eorundemque ministris, perplurimi infantes sine baptismate extinguantur, & ubi antehac cultus Evangelicus Divinus peragebatur, ibi nunc Passeres nidificent, Plebanis Catholicis quinque & plures Parochias & Ecclesias occupativè tenentibus, & nonnisi in proventuum eorundem exactionem intentis. Neque ubi tota Ecclesia ex Evangelicis etiamnum constat, Catholicis vix decem, imò paucioribus inter illos existentibus, sicut &, ubi in aliquo Comitatu supra Centum Templa Evangelicis sunt adempta, ipsorum exercitium

Reli-

Digitized by Google

Religionis ad duo Templa vel exſcindenda loca reſtringi quiret, cùm duò Templa tot millium Evangelicorum eſſent incapacia: Quibus accederet, quod miſeri Evangelici, ob carentiam inſimul Collegiorum, Gymnaſiorum & Scholarum ſuorum, eorumque docentibus, ex parte ſui nîl ampliùs ſperandum haberent, quàm impendentem reſpectu Juventutis ſuæ barbariem.

Quare denuò ad Thronum Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ ſupplices provoluti, per viſcera miſericordiæ divinæ, Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ in hac noſtra oppresſione, ac liberi exercitii Religionis Evangelicæ totali ferè exterminio, authoritatem & auxilium Regium humillimè imploramus, dignetur ad mentem toties allegati Diplomatis & Legum Regni, benigniſſimam Gravaminum Inclyti Regni, eatenusque factarum humillimarum inſtantiarum noſtrarum, pro Cæſarei & Regii animi magnitudine, habere rationem, nobisque clementer ſubvenire, ac cum reſtitutione ab Annis prætractis univerſorum ablatorum, nobis de non perturbanda impoſterùm ſecuritate, poteſtate ſuâ Regiâ benignè aſſiſtere, quò in pace & quietè, cumque tranquillitate conſcientiæ DEO vivere, atque ea, quæ erga Majeſtatem Veſtram Sacratiſſimam fidelitas noſtra exigit, alacri animo præſtare queamus. Oraturi ſimul DEUM, ut Majeſtatem Veſtram Sacratiſſimam, cum Auguſtiſſima noſtra coronanda Reginâ, ac Archi-Ducalibus chariſſimis Liberis in florenti regiminis ſtatu, conſervare, Auguſtisſimæque Auſtriacæ Domui Imperii & Regnorum incrementa de die in dies adaugere velit, quò hæc afflicta & lacera Hungaria ad priſtinam avulſorum membrorum recuperationem, cùm immanisſimi Chriſtiani nominis hoſtis proffigatione pervenire posſit. Quod nos unanimi voto apprecantes, permanſuri ſumus ſemper

Ejusdem Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ

humillimi perpetuòque fideles Subditi
Univerſi Status & Ordines Inclyti Regni
Hungariæ Evangelici.

XXXIX.

Ad Auguſtisſimam Imperatricem, Statuum & Ordinum Regni Hungariæ Evangelicorum in negotio Religionis demiſſa ſupplicatio, Die 8. Decembr. Anno 1681. exhibita & præſentata.

Auguſtisſima Imperialis Majeſtas,
Domina Domina nobis Clementiſſima.

QUòd Majeſtati Veſtræ Supplici hoc noſtro Libello importuni eſſe, ſum-

summâ necessitate adurgente, debeamus, nemo nos jure meritò, impudentiæ accusare poterit. Ubi enim quispiam in periculo existens, fiduciam obtinendi auxilii sibi pollicetur, ad illud confugere non veretur. Quinque jam humillimis Memorialibus Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestati Domino Domino nostro Clementissimo, humillime (præter publicum universorum Statuum & Ordinum Regni hoc in passu exhibitum Gravamen) deteximus, quantâ strage in hoc Regno Hungariæ sint conquassatæ res Status Evangelici, ita, ut ex feliciori ejus statu vix deformes quæpiam supersint reliquiæ, ac submississimâ veneratione imploravimus, tàm contra Diploma Regium, & expressas Leges Regni, vi & aliis variis modis & prætextibus ademptorum Templorum, Collegiorum, Scholarum, & similium universarumque earundem pertinentiarum ac proventuum (quorum commemoratione Majestati Vestræ noluimus esse molesti) plenariam restitutionem, complanationem, Regiarum item Diplomaticarum assecurationum transgressorum punitionem, ac futuræ securitatis consolidationem. Verùm hactenùs obtentæ resolutionis Regiæ, quoad acceptas injurias & damna nec dum adæquatâ subsecutâ satisfactione, tot turbinum fluctibus agitatâ, in ancipiti versatur misera Evangelicorum navicula. Sexto itaque jam humillimo nostro memoriali iterùm Suam Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatemper ea, quæ Christianis admissa, oratum & obtestatum venimus Sacra, quatenùs hanc, tot procellis concussam, laceram, ac periculosis quoque Scopulis allisam Status Evangelici naviculam, tanquàm prosper Favonius Regiâ Clementiâ afflare, inque securitatis portum promovere, ibique reparatis tabulis confractis, priori nitori & integritati restituere dignetur. Quod ut eò faciliùs impetremus, ad Majestatem Vestram, tanquam jam ad coronandum, per universos Status & Ordines Regni demissâ subjectione invitatam, ac crastinâ die etiam felicibus auspiciis solenni ritu coronandam Clementissimam Reginam nostram, ac Serenissimæ Imperialis Domus Neoburgensis Palmitem, imperterritâ mente & animo confugimus (inter alia etiam, quæ à Majestate Vestrâ nobis imposterùm pollicemur, gratiæ Reginalis specimina) hoc profundissimâ submissione exorantes, quatenùs his Augustalis & Reginalis gratiæ suæ primitiis, eundem Statum Evangelicum beare, ac apud Suam Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem, Dominum Dominum nostrum Clementissimum, gratiosissimè, plurimùm valiturâ Regiâ suâ intercessione, ejusdem Status Evangelici Supplicationes secundare non dedignetur, quò, ad finem, cum tripudio ejusdem Coronationis solennitate deductâ, nos in Sacro Diplomate Regio ac Legibus Regni fundatorum voto-
rum

Digitized by Google

rum compotes fieri, ac ad nostros placatis animis reverti, non solùm gloriari, verùm etiam Juventuti nostræ recensendo, ad posteritatem nostram indelebili memoriâ transmittere possimus, quòd tempore felicissimæ Coronationis Augustissimæ Imperatricis *Eleonoræ*, in Reginam Hungariæ, Ejusdem Majestatis Intercessione, à Clementissimo nostro Rege obtinuerimus id, quod millenis precibus ac votis per miserum, ac variis modis oppressum Statum Evangelicum, hactenùs expetitum fuit: Præparante Cor Regium Divinæ Majestatis directione, in cujus manibus sunt & habentur corda Regum. Quæ (prout non diffidimus) si impetraverimus, ad profundissimas gratiarum actiones nos non solùm perpetuò adstringimus, verùm insuper indesinenter Summum Cœli Terræque Dominum ardentibus precibus exoraturi sumus, ut Majestatem Vestram salvam & incolumem in longævos Annos conservando, faciat sicut vitem fructiferam in lateribus Clementissimi nostri Imperatoris, ac Regis, Filiumque Archi-Ducem jam natum, ac eodem DEO benedicente, adhuc nascituros, tanquam novellas Olivarum in circuitu mensæ suæ, ut hujus Augustissimæ Stirpis, surculis multiplicatis, ac in magnas arbores Imperii & Regnorum excrescentibus, sub umbra eorundem, optatâ pace semper frui, & omnibus felicis regiminis affluentiis gaudere posśint omnes eorum fideles Subditi, inter quos nos quoque semper permansuri & futuri sumus.

Ejusdem Augustissimæ Imperialis Majestatis Vestræ

humillimi ac perpetuâ fidelitate addictissimi Subditi
Universi Status ac Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

XXXX.

Puncta Suæ Majestati Sacratissimæ Cæsareæ & Regiæ, medio Excellentissimi Domini Comitis Palatini, nomine Universorum Inclytorum Statuum & Ordinum Regni Hungariæ, Partiumque Eidem annexarum, pro benigniori resolutione humillimè proponenda.

1. Omnes Literæ Reversales & aliæ in Gravaminibus specificatæ, ab undecennio occasione horum motuum, & Fori Delegatorii, qualitercunque & per quoscunque extortæ, Articulariter cassandæ, bonaque vigore illarum, vel aliter qualitercunque similiter occasione horum motuum occupata, & præ manibus Fisci Regii actu existentia; In Partibus quidem Cis- & Ultra-Danubianis per prætactum Dominum Excellentissimum Comitem Palatinum, cum certis eidem articulariter adjungendis; In Superi-

peri-

periori verò Hungaria, vel per futurum Judicem Curiæ, aut demùm Partium illarum Generalem; In Croatia tandem per Dominum Comitem Banum, ad demissam Regnicolarum instantiam, humillimamque prætendentium Supplicationem, quantocyùs solutâ præsenti Diætâ ex innata gratiâ atque Clementiâ Cæsareo-Regiâ simpliciter assignentur; Abalienatorum verò conditionem intra anni revolutionem benignè accommodare altememorata Sua Majestas Sacratissima dignetur. Quæ autem Bona per aliquos Privatos propria illorum authoritate fuissent occupata, medio Vice-Comitum eorundem Comitatuum, in quibus talia bona adjacere dignoscuntur, compertâ rei veritate, restituantur.

2. Negotium Religionis ex parte Status Evangelici, ulteriùs etiam nomine Statuum & Ordinum Regni propter bonum pacis Suæ Majestati Sacratissimæ pro complanatione Diplomatica repræsentandum.

3. Ratione actualis Domini Cameræ Præsidis amotionis, pro debito fidelitatis suæ argumento contenti redderentur, ut loco ejusdem Domini Præsidis, hujusce Diætæ beneficio, Sua Majestas Sacratissima, juxta mentem benignæ resolutionis, certam, eamque idoneam, ac de Patria, suaque Majestate Sacratissimâ benemeritam, nativam utpotè secularem juxta Leges Regni præficiendam personam denominare, eligere, ac Articulo nominetenùs inserendam benignissimè statuere dignaretur; Ejusdem attamen sæpedicti Domini Præsidis solutâ præsenti Diætâ, quantocyùs amotione exequenda.

4. Negotium Oerseghiensium juxta Gravamen eatenus Suæ Majestati Sacratissimæ humillimè porrectum, accomodandum, ex quô nihil aliud, nisi id, quod Juris Patrii & æquitatis esset, exposceretur. Similiter & negotium Familiæ Palffy Suæ Majestati Sacratissimæ perdemissè recommendandum.

5. Miles nativus juxta Articulum 3. 1655. modalitate in Gravamine appositâ, ad Confinia per Patentes Suæ Majestatis de facto extradandas reducantur.

6. Ratione consueti diurni, juxta Articulum 41. 1659. Tabulæ Suæ Majestatis Regiæ Judiciariæ, pro hac etiam Diæta per Dominum Comitem Palatinum secundùm Gravamen & Replicam appositam, ejusdem Tabulæ instantia demissè promovenda. Sopronii Die 8. Decembr. Anno 1681.

Notula memoriæ causa, de iis, quæ nomine Suæ Majestatis à Domino Palatino Inclytis Statibus & Ordinibus ad proposita Puncta oretenùs respondenda.

AD Primum. Amnistia extendatur etiam ad Relegatos ex Regno verbi Mini-

Digitized by Google

Ministros, & redire volentibus, ac quietè acturis ex gratia, ad humillimam singulorum eorum Supplicationem concedatur reditus: reversalesque eorum occasione exercitii Religionis acceptæ, quoad prædictum exercitium cassentur.

Quoad *Reversales* verò alias Causas concernentes, injustè extortæ, modalitate in Clementissimis resolutionibus expressa cassentur, & ejusmodi Officiales puniantur, cum satisfactione desuper danda.

Quoad Bona, & hæredes Convictorum & condemnatorum, maneat prior Suæ Majestatis clementissima resolutio; Commissio tamen particularis fiat quantocyùs, quæ memoratorum hæredum memorialia porrecta, quibus pro Suæ Majestatis Gratia humiliter instant, examinet, Suæque Majestatis votum aperiat, quid & quantum cuique per Regiam Gratiam assignari posset.

Ad Secundum. In negotio Religionis Sacratissima Sua Majestas non est contraria, si loca illa, juxta priorem benignam resolutionem assignanda, in specificatis locis pro exstruendo Templo minùs idonea forent, ut in aliis locis assignentur, per Commissarios jam designatos.

Præterea si quę Templa ab Augustanæ & Helveticæ Religioni addictis ædificata, & postea à Catholicis quidem addempta, sed nondum reconciliata, verùm ad profanum potiùs & secularem usum redacta fuissent, ea quoque per Commissarios iisdem restituantur: Ita tamen, ut numerus ædificandorum in specificatione constitutus per hoc non augeatur.

Ad Tertium. Non dedignabitur *S*ua Sacratissima Majestas, humillimæ Regnicolarum Supplicationi in tantum satisfacere, ut in præsenti adhuc Diæta sit denominatura secularem & nativum Cameræ Hungaricæ Vice-Præsidem, in prima affutura Præsidii ipsiusmet vacantia successurum.

Ad Quartum. In negotio Oerseghiensium, accepta uberiori informatione Sua Majestas *S*acratissima se, stante adhuc Diætâ, ubi dicta informatio tempestivè aderit, clementissimè resolvet.

Ad Quintum. Miles nativus, ut juxta Articulum 3. Anni 1655. ad Confinia reducatur, per Consilium suum Bellicum, re priùs cum Commissariis Hungaricis prudenter deliberatâ, quàmproximè ordinabit *S*ua Majestas Sacratissima.

Ad Sextum. Ratione Diurni Salarii, benignè annuit Majestas Sacratissima juxta Articulum 41. Anni 1659. respectu etiam modernæ Diætæ.

Ad Memoriale, ab Augustana & Helveticæ Religioni addictis Oblata

De-

Decembris porrectum, respondebit oretenùs Dominus Palatinus, finitis utpotè jam Dietalibus Tractatibus.

*S*acratissimam Cæsaream Suam Majestatem, nativam Suam benignitatem per Clementissimas suas resolutiones adeò fecisse perspectam & testatam, ut meritò concessione in Puncto Religionis jam facta contenti esse queant: polliceri etiam sibi posse Paternam inclinationem, benevolentiam, & protectionem; addidisse insuper Suam Majestatem priori benignissimæ resolutioni, hanc verbalem benignam declarationem, quod memoratæ *R*eligioni addicti, in Locis pro ædificando Templo assignatis, Scholas etiam Sumptibus suis instituere, & in efferendo suos mortuos, cantibus aliisque ceremoniis usitatis liberè uti possint. Sopronii Die 10. Decembr, 1681.

Ad Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem, Statuum & Ordinum Regni Hungariæ Evangelicorum Septima Supplicatio, dum videlicet Status & Ordines Catholici, Negotium Religionis, aliàs in iteratis universorum Statuum & Ordinum Replicis, ad Resolutiones Suæ Majestatis factis, Eidem Suæ Majestati præsentatum & recommendatum, ex serie Gravaminum excludere, imò à Diplomate & Legibus Regni abducere niterentur, demissè exhibita & præsentata Die 17. Decembris Anno 1681.

Sacratissima Cæsarea Regiaq; Majestas Domine Domine Clementissime.

PRægrande exantlatarum Evangelicæ Religionis persecutionum & oppressionum pondus, Vestræ Sacratissimæ Majestati, tùm aliàs, tùm verò ex iteratis, iisque demissis Gravaminum nostrorum repræsentationibus, potiùs est, quàm ut longiori ejusdem commemoratione Vestræ Sacratissimæ Majestati molesti esse debeamus: quibus nondum obductis cicatricibus, novum exindè etiam accessit vulnus, quòd nobis sub ingressu præsentis Diætæ, è communibus *R*egni Gravaminibus exclusis, & ad particularem viam *G*ravamina nostra, in benignum Vestræ Sacratissimæ Majestatis sinum effundendi, & medicam Ejusdem manum implorandi remissis; tandem verò à cœpta methodo rursus in commune totius Regni instantiarum consortium adscitis, licet Gravamina Evangelicæ Religionis in seriem reliquorum eâ conditione essent reposita, ut ea quoque (à quorum nimirum complanatione, afflictæ hujus Patriæ pax & tranquillatio dependeret) cum cæteris in complanationem sumerentur:

tur: imò tempore compendiationis Gravaminum Regni, Secularis Status Catholicus, nos in eo firmissimè assecurasset, quòd negotiis nostris incomplanatis, ad conclusionem Diætæ procedere nolit: Nihilominùs tamen, dùm ad mentem Vestræ Majestatis Sacratissimæ benigni Diplomatis, & expost subsecutum Verbum Regium, toti Regno, Die 28. Mensis Augusti proximè præteriti, hisce Scriptotenus declaratum: *Paterna enim Ejusdem Suæ Majestatis intentio semper fuit, ac etiamnunc est, adhuc stante hâc Diætâ, præfata Religionis Gravamina in compositionem assumendi, & neutiquam eam ad aliud tempus, vel locum remittendi: hâc igitur benignâ pollicitatione Eadem Sua Majestas Sacratissima Supplices Augustanæ & Helveticæ Confessioni addictos, quàm reliquos Catholicos Ordines securos admonet & hortatur, ut citra ullam moram omissas publicas consultationes aggrediantur, easque indesinenter debitâ cum assiduitate & diligentiâ prosequantur; visuri vicissim brevi actualem inchoationem examinandorum Religionis Gravaminum institui, & ad finem usque summâ cum applicatione continuari;* (cui tanquàm Sacræ Anchoræ innitimur) benignam resolutionem Vestræ Majest. Sacr. avidissimè præstolaremur, eâque etiam ad novissimum humillimum Universorum Statuum & Ordinum Regni Memoriale non obtentâ, apud Statum Catholicum institissemus, ut negotium etiam nostrum in numerum certorum totius Regni Punctorum, in formâ Articularis projecti, pro ulteriori benignâ resolutione & declaratione Vestræ Sacratissimæ Majestati demissè porrigendorum, accenserentur: tantum abest, ut idem Status Catholicus nostram instantiam acceptasset, ut potiùs eâ exclusâ, nobis invitis certos Articulos, super nonnullis Regni Gravaminibus in Consessu Regnicolarum perlegi fecisset; eandemque perlectionem continuare, per hocque nostra Gravamina è serie reliquorum excludere & incomplanata relinquere niteretur. Et quia, Clementissime Imperator, hujusmodi Articulorum confectio & perlectio, præsupponeret intimam Gravaminum & Resolutionis Vestræ Sacratissimæ Majestatis harmoniam, Resolutionibus verò in negotio Religionis clementer impertitis, citra resultum à Sacro Diplomate Vestræ Majestatis Sacratissimæ (cui strictissimis Principalium nostrorum instructionibus alligati sumus) uti medio Supplicis nostri Libelli Die 8. Mensis præsentis Vestræ Sacratissimæ Majestati exhibiti, uberius demissè declaravimus, acquiescere, & easdem in Articulos redigere non possimus: Sed nec à communibus Regni Gravaminibus, occasione quorum hucusque etiam nostra in Augustissimam Vestræ Sacratissimæ Majestatis præsentiam identidem prodire, aliis Tractatibus Diætalibus suo fine approperantibus, recedere queamus, & hinc neque solitum Regnicolarum concessum frequentare nobis integrum esset. Proinde ad Au-

Digitized by Google

gustissimos Vestræ Majestatis pedes suppliciter confugientes, Eandem iterùm atque iterùm per viscera misericordiæ DEI oramus, dignetur præmissa clementi cordi sumere, eamque benignam intre rationem, quò in passu reliquorum Regni Gravaminum, etiam nostris optatam complanationem assecutis, ad Articulorum confectionem, & consequenter finalem Diætæ hujus conclusionem procedere, ac tandem cum consolatione ad nostros redire valeamus. Pro quâ Vestræ Majestatis Clementiâ, vitam & sanguinem, quibus in hâc mortalitate nihil chariùs & cariùs habemus, devovemus, & perennantem Imperii incolumitatem vovemus. Clementissimam præstolaturi resolutionem.

Ejusdem Sacratissimæ Majestatis Vestræ

Humillimi ac perpetuò fideles Subditi Universi Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

XLII.

Series Coronationis

Augustæ Imperatricis Eleonoræ Magdalenæ in Reginam Hungariæ Anno 1681. die 9. Dec. Sopronii instituendæ.

1. PRæparatis præparandis incipit progressus ad templum, nempè amotis famulis quibuscunque, præcedunt primarii nobiles Germanici & Hungarici.

2. Cæsarei Ministri & Equites aurei Velleris, nomine Supremi Aulæ Præfecti Scipionem ferens Marescallus aulæ Comes Zinzendorffius.

3. Legati Hispanus & Venetus.

4. Feciales sive Heraldi quinque.

5. Hæreditarii Electorum Subofficiales cum Insigniis Augustalibus.

6. Vicarius Marescalli cum Ense nudo.

7. Sacratissima Cæsarea Majestas paludamento induta, & Caput Corona redimita.

8. A latere Sacratissimę Cæsareæ Majestatis Supremus Cubicularius & stipatorum Corporis Capitaneus.

9. Magister Curiæ in Hungaria.

10. Magnates cum Clenodiis Hungariæ.

11. Augusta Imperatrix, Ductore Principe Dietrichsteinio, & syrma ferente Aulæ Præfecta.

12. Uxor Palatini cum Damicellarum Pręfectâ.

13. Aulicæ Damicellæ.

14. In limine templi excipitur à Clero Sacratissima Cæsarea Majestas, pariter Augusta à binis Episcopis assistentibus.

15. Du-

Digitized by Google

15. Durante templi ingressu auditur clangor tubarum & tympanorum.

16. Postquam Cæsar & Augusta sedes suas occuparunt, à sinistra Cæsaris sunt Augustalium Imperii Insigniorum portatores cum Heraldis & Marescalla Augustæ, ad lævã sui solii habet Magnates, qui Clenodia ferũt.

17. Cum quisque locum suum occupavit, Consecrator exorditur Missam, & pergit ad Epistolam, quâ finitâ Cæsar Coronam in Capite, atq Sceptrum & globum manibus gerens, accedit ad altare, ibique juxta formulam Pontificialis Augustam inaugurandam præsentat.

18. Augusta assistentibus Episcopis comitata coram altari se sistit, & flexis genibus Crucem in stola Metropolitani devoto petit osculo.

19. Archi-Episcopus Consecrator in genua procumbit & ab ejus sinistra Augusta super pulvinaria ibidem præparata se prosternit, donec à Clero litania recitata fuerit. Hac cum precibus absoluta, Augusta sese erigiens, subsidens tamen inungitur.

20. Regina peruncta cum Episcopis assistentibus, syrma sustinente aulę præfectâ ad sacrarium recedit, comitante Palatini uxore (quæ inter duas Damicellas aulicas media recedit) atque sic abstergitur.

21. Reducitur Augusta ad altare, Palatinus Regni porrigit Sacr. Hungariæ Coronam Consecratori, qui eam Reginæ humero dextro parumper applicatam rursum affert, & altari restituit.

22. Episcopus Besprimiensis, vel Ei substitutus, familiare Austriacum Diadema Capiti Reginæ Augustæ imponit.

23. Metropolitanus Reginæ Sceptrum in manum dextram & globum in sinistram tradit, atque sic Ea ad thronum suum redit.

24. Cantatur Hymnus Te DEUM laudamus &c. prima tormentorum bellicorum displosio cum sonitu Campanarum.

25. Post Evangelium reposcit ab Augusta Regina Sceptrum & Globum Magister curiæ, redditque Magnatibus, qui eadem prætulerant.

26. Ab Episcopis assistentibus ducitur Regina ad offertorium, regrediturque ad solium, in quo usque ad Sacram Synaxim perseverat.

27. Coronam propriam Augustæ Reginæ Episcopus Besprimiensis, ubi necessum, è capite demit, ac Supremæ aulæ Præfecto Principi Diethrichsteinio committit, qui illam tantisper tenet, posteaque Augustæ rursum imponendam dicto Episcopo restituit.

28. S. C. Majestas post Offertorium Diadema deponit, & demum post Communionem resumet, utrumque Ministerio Supremi aulæ Præfecti, & Supremi Cubicularii, Corona autem Comiti Zinzendorffio committitur.

 29. Sub

29. Sub Elevatione clenodiorum gestatores eadem invertunt, ex Imperii autem Augustalibus Ensis saltem cuspis inclinatur.

30. Regina Augusta ad Communionem Sacr. ab Episcopis prædictis ducitur, eamque à consecratoris manibus cum ablutione percipit; & Corona propria rursum ornatur.

31. Finiente Sacro ad benedictionis largitionem solvuntur alterâ vice Machinæ bellicæ.

32. Reditus è templo in aulam eodem ordine & viâ instituitur, egredienti autem Reginæ Augustæ, Matronæ Nobiles Hungariç manum deosculantur.

XLIII.

Declaratio Status Evangelici cum potioribus Suæ Majestatis Sacratissimæ Ministris Die 13. Decembr. Anni 1681. communicata.

Infrascriptis iisque potioribus Gravaminibus modalitate infra declarata sepositis.

P*Rimò.* Ut Proscriptionales & Reversales, aliæque Literæ Cessionales & Transactionales in negotio Religionis emanatæ, ac etiam eæ, quibus mediantibus Ecclesiarum Evangelicarum Pastores, Collegiorum, Gymnasiorum & Scholarum Rectores, aliique Studiosi, ab officiis vel amoti vel penitus Regno excesse jussi sunt, cassentur, ipsique pristinæ libertati restituantur.

Secundò. Templa, Auditoria, Parochiæ, Collegia, Gymnasia, Scholæ, & Xenodochia Evangelicorum, ab Anno 1670. prout & Templa, Papense & Schemniczense inferius, paulò ante occupata, unà cum bonis, proventibus, & eorundem pertinentiis, aliisque accessoriis, prioribus possessoribus restituantur, Commissariique in eum finem denominentur, qui sub nota infidelitatis id statim exequi tenentur, nec se quisquam iisdem sub eadem pœnâ opponere ausit.

Tertiò. In reliquo Sacris Diplomatibus, aliisque Constitutionibus Regni, recentibus etiam, in negotio Religionis, salvis & integris permanentibus, reliqua Gravamina ab Anno 1649. emersa, toties complanari petita, adhuc dum tamen incomplanata, futura proxima occasione, complanentur.

XLIV.

Ad immediatè præmissa Puncta, Excellentissimus Dominus Comes Regni Palatinus, nomine Suæ Majestatis Sacratissimæ, Statui Evangelico particulariter subsequentia Puncta extradedit.

P**Rimò.** Suam Majestatem Sacratissimam jam nuper circa reditum Pro-

Digitized by Google

Proſcriptorum Verbi Miniſtrorum (ſub quo etiam Rectores Scholarum intelligit) ſe tàm benignè declaraviſſe, ut nil ei reliquum ſit & maneat, quod addi poſſit.

Secundò. Inhæret Sua Majeſtas principali ſuæ reſolutioni circa reſtitutionem Templorum & liberi exercitii.

Tertiò. Hoc ipſum jam antea à Sua Majeſtate declaratum fuiſſe, ut quæ hic complanari non poterunt, ad proximam occaſionem remittantur.

XLV.

Ulterior Status Evangelici in negotio Religionis Declaratio. Anno 1681. die 18. Decembr. itidem cum potioribus Suæ Majeſtatis communicata.

STatus Evangelicus negotium ſuum pro facilitatione complanationis in tria Puncta redegit. Primo & Tertio etiamnum inhæret, nec à Secundo ſimpliciter recedere poteſt. Loca enim ea, in quibus præmiſſæ Templorum, Gymnaſiorum, & aliorum occupationes factæ ſunt, ita ſunt comparata, ut in illis maximam partem Evangelici ſint, & in quibusdam Decimus, in quibusdam Vigeſimus, in quibusdam autem vix aliquis eſſet Catholicus, ex eoque Evangelici illis occupatis carere non poſſent; nihilominùs tamen, ſi Suæ Sacratiſſimæ Majeſtatis in ordine ad præmiſſa Tria Puncta benigna Reſolutio obtineri poteſt, ſignanter verò in facto reſtitutionis occupatorum, in illis locis, ubi ſaltem unum Templum ab Helveticæ Confeſſioni addictis, & ab Auguſtanæ Confeſſionis ſimiliter unum eſt occupatum, non deerit Status Evangelicus, quin reſpectu in uno loco plurium occupatorum, ubi Catholici nullum Templum antecedenter habuerunt, condeſcendat ad id, ut aliqua occupata pro complanatione ad futuram occaſionem remittantur, ſalvis nihilominùs ſemper permanentibus Sacris Diplomatibus & Legibus Regni.

XLVI.

Iterata Suæ Majeſtatis Sacratiſſimæ Reſolutio.

Reverendiſſimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus, ac Magnificis. &c. (L.S.)

Sacratiſſimæ Cæſareæ Regiæque Majeſtatis Domini Domini noſtri Clementiſſimi nomine, Reverendiſſimis, Reverendis, Honorabilibus, Spectabilibus, ac Magnificis, Egregiis item & Nobilibus, nec non Prudentibus ac Circumſpectis, univerſis fidelibus Regni Hungariæ & Partium ei annexarum Statibus ac Ordinibus in moderna Generali ipſorum Diæta hîc Sopronii congregatis & præſentibus hiſce ſignificandum.

 Altè

Altè memoratę Suæ Majestati Sacratissimæ, ab Augustanæ & Helveticæ Religioni addictis, per demissum ipsorum *M*emoriale insinuatum fuisse, qualiter ea, quæ *R*eligionem tangunt & concernunt, in Articulos Diætales redigi abnuantur, iisque ad sessionem sub pœna Decretali citentur, super quo Eandem Suam Sacratissimam *M*ajestatem pro Paterno & Regio remedio submississimè implorant.

Quandoquidem verò ea semper mens & intentio benigna Suæ *M*ajestatis fuit, ut singula & omnia, quæ præsenti in Diæta tractata sunt, communi consensu perficiantur, & in publicas Regni Constitutiones redigantur: Jamque Sacratissima *S*ua Majestas, in ordinandis & complanandis hujus inclyti Regni necessitatibus, tàm clementer, Paterneque & benevolè se declaravit, ut ejusdem benignissima erga universos Status & Ordines inclinatio affluenter ex eo dignosci queat; singulariter etiam in puncto Religionis talia indulsit, quibus Augustanæ & Helveticæ *R*eligioni addicti Regnicolæ, cum debitâ gratiarum actione facilè acquiescere possunt.

Eapropter Sacratissima *S*ua Majestas nullatenùs ambigit, quin universi Status & Ordines iis gratanter agnitis, ad deliberationes sint regressuri, & concordibus animis finem Diætæ imposituri, atque per hoc omnis quæstio circa pœnam Decretalem sit etiam cessatura.

Cœterùm Eadem Cæsarea & Regia Majestas, fretâ hac Inclytorum Statuum & Ordinum obsequiosâ morigeratione, omninò desiderat, utq; Religionem concernunt, æquè atque reliqua tractatus Puncta, Articulis Diætalibus inserantur: Inclinat insuper benignissimè, quòd si existimarent, quædam circa hanc Religionis materiam, ulteriorem aliquam declarationem requirere, quod illa in futura proxima Diæta (præsenti enim citra ullam ulteriorem Dilationem finis imponendus) humillimè rogari, & ejusdem clementissima resolutio desuper expectari possit. Vicissim ab Inclytis Statibus & Ordinibus firmiter sibi pollicetur, eos universos & singulos, uti fideles subditos sese gesturos, tranquillè acturos, & Regia expertâ gratiâ dignos, majorisque securæ benignitatis capaces, præstituros esse; Et cum ratione sui abitus Eadem Sua Majestas S. erat. omninò & præcisè etiamnum inhæreat, neque gravissima alia negotia ejusdem, longiorem hic commorationem admittant; Ideò Eosdem Inclytos Status & Ordines iteratò ac impensè commonet, ut tam diuturna Comitia tandem debito modo finire, nulla interpositâ mora, satagant. Quibus in reliquo Eadem Sua Majestas Sacratissima, Cæsareâ & Regiâ Suâ gratiâ ac clementiâ, benignè, jugiterque propensa permanet

Per Sacratissimam Cesaream Regiamq; Majestatem.
Sopronii Die 22. Mensis Decembr. Anno 1681.

Johannes Maholany, Mppr.

Digitized by Google

XLVII.

Ad Sacratissimam Cæsaream Regiamque Majestatem Statuum & Ordinum Regni Hungariæ Evangelicorum Octava Supplicatio exhibita & præsentata Die 23. Dec. A. 1681.

Sacratissima Cæsarea Regiaque Majestas.
Domine Domine nobis Clementissime.

TOties molestantibus Vestram Sacratissimam Majestatem benignam impetrabit veniam, præter innatam Vestræ Sacratissimæ pietatem, & promptissimam ejulatûs afflictorum exaudiendi patientiam, ipsa enim indies ingravescentium calamitatum & ærumnarum, quibus premimur, moles. Videbamur parte quadam malorum levari, quod sex circiter ab hinc diebus in Paternum Vestræ Sacratissimæ Majestatis benignum sinum licuerit humillimè effundere: quo pacto Status Catholicus post octo Mensium, in negotio Religionis impensos labores, Gravamina nostra è serie reliquorum exmittere, & per hoc aliis Diætalibus Tractatibus jam fini approximantibus, exulceratum Religionis mille modis turbatum vulnus, præsentaneo Diætali remedio destituere vellet ac niteretur. Verùm quod plerumque omnibus calamitosis commune est, calamitatem alterius indissolubilem comitem, tristissimi experiamur. Dum enim ex Augustissima Vestræ Sacratissimæ Majestatis, tanquam pientissimi nostri Regis ac Domini gratiarum penu, ad novissimum Memoriale suppliciter porrectum, tot tantisque malis solamen & levamen anhelô spiritu præstolaremur, à parte Status Catholici, in evidentius prædeclaratæ ipsorum intentionis experimentum, in continuata (ut nobis innotescere licuit) Articulorum perlectione nil remittitur, verùm ad finalem Diætæ conclusionem proceditur, utque idem nos ageremus, sub pœna Decretali citamur, nilque jam restaret, quàm ut nos, tot persecutionum turbinibus fatigati, quos aliàs hactenùs ipsimet Catholici pro legitimis suis commembris agnovêre, pro nothis Patriæ filiis reputemur.

Clementissime Imperator, dùm nos legitimas rationes, ob quas solitum concessum Regnicolarum frequentare nobis integrum non esset, medio ultimarii nostri Supplicis Libelli, demississimè explicamus, auxiliatricemque Vestræ Sacratissimæ Majestatis manum & opem in eo imploramus, ut nos quoque in serie Gravaminum Regni benignam injuriarum nostrarum medelam consequamur, ex adverso autem nobis, ac ob absentiam nostri, plurimorum Comitatuum, aliisque ablegatis absentibus, non curatis legitimis absentiæ nostræ rationibus, in continuandis operibus Diætalibus pergitur, & ad eorundem accelerandum finem, exmissis nostris Gravaminibus, sub pœnâ Decretali citamur; æquissimo Vestræ Sa-

cratisſimæ Majeſtatis, & altisſimo judicio ſubmittimus: annon hoc ſit lacrymas, quas ipſi expreſſerunt, cohibere? annon ad portum Clementiæ Veſtræ Sacratisſimæ Majeſtatis omnibus eò confugientibus reſeratum aditum obſtruere? annon nos à communibus Regni Gravaminibus & Diplomaticis noſtris inſtantiis, ſub interminata pœna Decretali, avocare velle? annon in negotio Religionis tot menſium labores irritos reddere, & Diætali hacce medelâ, per Veſtram Sacratisſimam Majeſtatem omnibus ſuis fidelibus clementer præparatâ, fruſtratos reddere? an denique quippiam ſuperſit, quàm ut pro averruncâ, is Patriæ membris reputemur, æquales alias in Libertatibus & immunitatibus illis?

Certè Clementisſime Imperator, tot inter ancipites fluctus, ipſi deſperationi proximi cogeremur eſſe, nî per univerſum Chriſtianum Orbem deprædicatâ Veſtræ Sacratiſſimæ Majeſtatis cognitâ benignitate, pioque oppreſſos juvandi ſtudiô, ac indubitatô ſolatii per Veſtram Sacrat. Majeſtatem Auguſtali ore, tùm tempore auſpicatisſimi adventus ad præſentia Comitia, tùm verò aliis expoſt occaſionibus, prolatô argumentô, ad meliora animaremur.

Et cum ex his immotâ fiduciâ ſciamus, Veſtram Sacr. Majeſtatem pro erigendis oppresſis, pro propellendis potentiorum injuriis, proque reducenda, & in priſtinum ſtatum reponendâ tranquillitate (quæ etiam à turbatæ Religionis complanatione, vel maximè dependeret) ordinatô ad id præſentaneô hocce Diætali remediô, in medium fidelium ſuorum advolaſſe, in firmiorem, quàm ut per adverſantium molimina in transverſum agi poſſet, ſpem aſſurgentes, ad Auguſtisſimum Veſtræ Sacratisſimæ Majeſtatis thronum, toties ac toties ſupplices recurrimus, Eandem per omnia Sacra, perque omnia ſibi chariſſima, demiſſè oramus & obteſtamur, patiatur tot acerbas noſtras injurias, tot querulantes lacrymas, & tot lacrymis madentes querelas, in benignum, ſuum cor deſcendere, dignetur ſe nobis exorabilem reddere, & nos modernæ Diætę beneficii participes benignisſimè facere, tandemque afflictum noſtrum Statum, ab omnibus adverſitatibus, in priſtinam ſecuram & optatam tranquillitatem vindicare. Quam Veſtræ Sacratisſimæ Majeſtatis clementiam, perpetuò fidelibus noſtris obſequiis demereri annitemur, & Eidem felix ac diuturnum Imperium concordibus votis apprecamur. Clementem Veſtræ Sacratisſ. Majeſtatis expectantes reſolutionem.

Ejusdem Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ

Humillimi perpetuoque fideles ſubditi
Univerſi Status & Ordines Regni Hungariæ
Evangelici.

XLVIII.

XLVIII.

Ad Sacratisſimam Cæſaream Regiamque Majeſtatem, Statuum & Ordinum Regni Hungariæ Evangelicorum Nona Supplicatio in negotio Religionis Die 29. Decembr. Suæ Majeſtati exhibita & præſentata.

Sacratisſima Cæſarea Regiaq; Majeſtas Domine Domine Clementiſſime.

SUpplices, lacrymabundi inſimul ad Auguſtisſimos Veſtræ Sacr. Majeſtatis pedes provolvimur, & in ſingula fermè momenta recrudeſcentia noſtra vulnera, in Paternum Veſtræ Sacratisſ. Majeſtatis, omnibus afflictis extenſum benignum ſinum effundimus. Nondum ſat erat malorum, quibus à Statu Catholico, ſub decurſu præſentis Diætæ presſi, ingemiſcere debuimus, quin etiam novum accesſisſet, dùm enim nos patientisſimo & æquisſimo (uti fideles ſubditos decuit) animo ferremus, quòd Diplomaticam Gravaminum noſtrorum complanationem non ſimus conſecuti, eoque in paſſu totam noſtram ſpem, in benignitatem Veſtræ Sacr. Majeſtatis (quæ etiam extra terminos Diætæ potis eſt, noſtris miſeriis opitulari) conjiciendo, in reliquis tractatibus Diætalibus procederemus, nilque aliud efflagitaremus, eoque ut benignæ Veſtrę Sacratiſſimæ Majeſtatis in negotio Gravaminum noſtrorum impertitæ reſolutiones, quandoquidem iisdem nos, ex rationibus Veſtræ Sacratiſſimæ Majeſtati demisſè repræſentatis, acquieſcere nequeamus, in Articulos non redigantur: Ex tunc Status Catholicus, uti nobis innotuit, præmisſis contrarium facere, nobis invitis non dubitavit. Declaravimus Nos, Clementisſime Imperator, hodiernâ luce, ſtatim ſub exortum ejusdem, tàm coram Excellentisſimo Domino Comite Palatino, quàm verò Domino Perſonali, quod Articulos in reliquis Regni negotiis concluſos, parati eſſemus Veſtræ Sacratisſ. Majeſtati pro confirmatione humillimè præſentare, dummodò aliquis in negotio Religionis editus iisdem non annectatur; alioquin enim in hujusmodi præſentationem conſentire non poſſemus, cùm per eandem etiam in tales præjudicioſos Articulos in Religionis negotio confectos conſentiremus. Verùm nihil nos hæc juvarunt, quin potiùs, ut nobis afflictis afflictio addatur, ubi per Dominum Vice-Palatinum in Domo Regnicolarum propoſitum eſſet, tempus inſtare, ut præ-

Digitized by Google

scripti Articuli Vestræ Sacratisſimæ Majeſtati præſententur, idem Dominus Vice-Palatinus, Nos ex ipſo, & ad latus ejusdem exiſtente Domino Magiſtro Protonotario quærentes: num Articuli in negotio Religionis formati, inter reliquos contineantur? nec quidem directo reſponſo eſt dignatus; ſed dum nos animis hæreremus, quid in tam ancipiti rerum ſtatu opus eſſet factu; Idem Dominus Vice-Palatinus cum cæteris Catholicis ad Auguſtiſſimam Veſtræ Sacratisſimæ Majeſtatis Aulam, eosdem Articulos præſentatum pergit.

Clementisſime Imperator, Nos Sacro Veſtræ Sacratiſſimæ Majeſtatis Diplomati ſtrictisſimis Principalium noſtrorum Inſtructionibus alligati, prout ſæpiùs nos demiſsè declaravimus, quòd ab eodem recedere non poſſimus; ita etiamnum ſubmisſisſimè declaramus, quod Articulos in Puncto Religionis citra conſenſum noſtrum noſtrique in ruinam, favorem autem partis nos opprimentis compilatos, pro noſtris minimè, verùm pro talibus agnoſcimus, in quos nos non conſenſimus, neque conſentire poſſumus; ac proindè Veſtram Sacratisſimam Majeſtatem per Æternum DEUM & ejus Juſtitiam humillimè ſupplicantes oramus, dignetur benignam præmiſſorum rationem habere, ac nos, quibus in noſtris afflictionibus Diætale remedium conſequi non licuit, ſolitâ ſibi congenitâ Clementiâ complecti, totque innumerabilibus noſtris, ipsâ morte acerbioribus afflictionibus, Regiæ authoritatis ac Clementiæ, penesque aſſertionem benigni Diplomatis (quod ita nobis, ſicut parti Catholicæ, fidelibus quippè ſuis clementèr elargiri dignata eſt) gratioſæ quoque defenſionis remedio ſubvenire. Veſtræ Sacratisſimæ Majeſtati perpetuam fidelitatem devoventes, & Eidem, totique Auguſtisſimæ Domui Suæ perennantem felicitatem apprecantes.

Ejusdem Majeſtatis Veſtræ Sacratiſſimæ

humillimi perpetuòque fideles Subditi

Univerſi Status & Ordines Regni Hungariæ Evangelici.

XLIX.

XLIX.

Literæ ad Principem Marchionem Badensem, post discessum ejusdem Sopronio, à nonnullis Ablegatis Evangelicis adhuc hic Sopronii existentibus expeditæ.

Serenissime Princeps.

Domine Domine gratiosissime.

SErvitiorum nostrorum humillimam commendationem. Postquàm hodierna die Vestra Serenitas, medio Generosi Domini Georgii Gerhard, pro eâ, quâ erga nos fertur gratiâ, quædam nobis insinuasset, quæ accommodationi negotii afflictissimæ nostræ Religionis deservirent; ejusmodi gratiosô Vestræ Serenitatis affectu perquàm magni æstimatô, nos qui adhuc hic existentes confluere potuimus (quandoquidem complures ob defectum sumptuum discessere) omnimodè laboravimus in eo, quô tum debitum nostrum erga Suam Sacratissimam Majestatem Dominum Dominum nostrum Clementissimum fidelitatis homagium, tùm verò obsequiosum nostrum in Vestram Serenitatem affectum declarare, & aliquam satisfactionem Vestræ Serenitati dari posse, prout medio certorum nostrorum nunciorum Vestræ Serenitati humillimè intimavimus, quod nos re exactiùs penficulata, si aliquem medium terminum adinvenire poterimus, quò & gratiosam Vestræ Serenitatis intentionem secundare, & coram Principalibus nostris actorum sufficientem rationem reddere valeamus, non intermittemus, quin prævia apud Vestram Serenitatem insinuatione, apud Dominum nostrum Clementissimum etiam Viennæ demissam nostram instantiam simus deposituri. Verùm cum negotium consultando aggrederemur, ac interea nuncii à Vestrâ Serenitate redirent, referrentque, Vestram Serenitatem, nescimus cujus Decreti, vel Patentis, neque securitatem nobis in negotio Religionis promitteremus, mentionem fecisse, illicò turbati, & ita perplexi facti sumus, ut non videamus, ad quid nosmet resolvere debeamus; præsertim cum jam pauci nostrum hic sint, ac proindè de eo, quod totum Statum Evangelicum concernit, per nonnullos nihil tractari aut concludi possit. Vestram proindè Serenitatem humillimè oramus, dignetur hanc nostram rationabilem excusationem gratiosè admittere, & nos ulteriùs quoque solitâ suâ gratiâ complecti. Nulli dubitantes, Principales nostros, factâ coram iis-

dem super gratioso Vestræ Serenitatis affectu relatione, magni æstimaturos, & humillimum in omnibus occurrentiis ad Vestram Serenitatem recursum facturos. Vestræ Serenitatis gratiæ, & per eandem innatæ pietati & Clementiæ Domini Domini nostri Clementissimi (in cujus fidelitate vivere & mori optamus) nos in omne tempus commendantes, & Vestram Serenitatem diu feliciterque in totius Christianitatis emolumentum vivere exoptantes. Datum Sopronii Die 30. Decembris, Anno 1681.

Serenitatis Vestræ

humillimi Servitores

Nonnulli Ablegati Status Evangelici Regni Hungariæ.

L.

Protestatio Statuum & Ordinum Regni Hungariæ Evangelicorum, respectu Articulorum in negotio Religionis, per Statum Catholicum, contra nutum & voluntatem Evangelicorum, præjudiciosè conditorum, sic sonat.

NOS LEOPOLDUS, &c. Memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes, quibus expedit universis. Quod fideles nostri, Spectabiles, Magnifici, Egregii & Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti Augustanæ videlicet, & Helveticæ Confessionibus addicti, feriâ Tertiâ proximâ post Dominicam infra octavam Nativitatis Christi Domini, Die videlicèt Trigesimâ Mensis Decembris, Anni modò labentis Millesimi Sexcentesimi Octuagesimi Primi, aliàs huc in Liberam Regiamque Civitatem nostram Sopronienſem, & Comitatu nominis ejusdem adjacentem, habitam, ad Generalia prælibati Regni nostri Hungariæ, partiumque eidem annexarum Comitia, in Diem vigesimum Octavum præteriapsi mensis Aprilis, Anni præsentis supra recensiti, Fidelibus nostris, universis Ejusdem Regni nostri Hungariæ, & Partium præscriptarum Statibus ac Ordinibus, pro pertractandis publicis, iisque perarduis ipsorum rebus, ac negotiis, per Majestatem nostram Regiam clementèr indicta & promulgata, simul congregati, convocatique & Ablegati Nuntii, nostram personaliter venientes in præsentiam, per modum & formam solennis protestationis & Contradictionis proposuerunt, ac de-

Digitized by Google

detexuerunt, proponique ac detegi curaverunt, eandemque protestationem & contradictionem suam, Eidem Personali præsentiæ nostræ Regiæ in scriptis etiam exhibuerunt, & præsentarunt, hujusmodi sub tenore. Universi & singuli Status & Ordines Evangelici Regni Hungariæ, pro præsenti Generali præfacti Regni Diæta, ad Diem vigesimum octavum Mensis Aprilis, Anni Millesimi Sexcentesimi Octuagesimi Primi præteritum, in Liberam hanc ac Regiam Civitatem Soproniensem, indicta, præsentes, per modum solennis protestationis, & gravis querelæ proposuerunt in hunc modum: Qualitèr sub decursu modernæ Diætæ, & quidem statim ab initio ejusdem, exulceratum inde à 1649. pridèm evoluto, mille modis turbatæ, ac tandem 1670. Annis, ferè ad totale exterminium conquassatę Religionis Evangelicæ vulnus Suæ Majestati Sacratissimæ Domino Domino & Regi ipsorum Clementissimo, primò ad partem duntaxat, non modò iidem Protestantes humillimè detexissent, ad benignissimam à tanto temporis tractu de uno in alium Generalem Regni Conventum, dilatam, jam tandem tot malis clementèr adhibendam medelam anhelo spiritu implorassent, verùm etiam idipsum universi Status & Ordines Regni, & Partium eidem annexarum publicis suis gravaminibus accensendo, pro Diplomatica complanatione alte nominatæ Suę Majestati seriò ac iteratò repræsentassent; Ut ut autem benè memorata Sua Majestas inter puncta benignarum suarum resolutionum hoc quoque in passu iteratis, ac tandem ultimaria vicibus sese in sequentia resolvisset:

Primò. Pacificatio Viennensis in totum, & maximè in Primo Articulo utramq; Religionem concernente, in omnibus repetitur, & confirmatur. Secundò. In supplementum &c. Tertiò. Neq; dicti &c. Quartò. Ultra Libertatem &c. Quintò. In locis &c. Sexto. Nullæ etiam &c. Septimò. Propter bonum &c. Octavò. Posoniensibus &c. Nonò. Civitas Soproniensis &c. Decimò. Quoad reliquas &c. Undecimò. In Comitialibus &c. Duodecimò. Permissum etiam &c. Decimo tertiò. Cum Romano-Catholicis &c. Decimo quartò. Si quę Gravamina &c. Decimo quintò. Sub gravi &c. (Conclusio) Unde Sua quoque Majestas &c. (usque ad) Regni Status, Ordines & Incolas Suæ Clementissimę resolutioni omninò acquieturos.

[Vid. hoc in passu Suæ Majestatis Sacratissimæ Statibus & Ordinibus extraserialiter extradata Puncta sub Dato 9. Nov. Anno 1681. quæ postmodùm 13. Nov. ejusdem Anni in Domo Regnicolarum dictata sunt.]

Digitized by Google

Quia tamen iidem Protestantes per præviam benignam Suæ Sacratissimæ Majestatis resolutionem votis universorum, tantò minùs ipsorum Evangelicorum minimè satisfieri; quin potiùs Sacris Diplomatibus & Legibus Regni præjudicare adverterent. Ut enim præcitatus Articulus Primus aliàs superioribus temporibus per Statum Catholicum in diversum & exoticum sensum distractus, ac postmodùm authenticis instrumentis, verùm etiam Diplomate Regio Anni Millesimi Sexcentesimi Quadragesimi Septimi mediantibus, in suum genuinum & nativum sensum reductus, & declaratus simplicitèr renovetur; taliterque tot indirectarum interpretationum, quæ hactenùs Evangelicam Religionem asperrimè collidebant, fomes exsuscitetur: ut deindè Evangelicæ Religionis exercitium, aliàs vigore Sacrorum Diplomatum per universum Regnum Libera, ad certa loca duntaxat restringatur: Ut porrò Templa ab anno præscripto millesimo sexcentesimo septuagesimo, (ac etiam uti manifestæ sequelæ est antecedenter) occupata præ manibus violentorum occupatorum remaneant, ac pro nonnullis loca duntaxat deputentur: Ut denique Dominis Terrestribus, in negotio Religionis erga suos subditos, consequenterque animas ipsorum jus & arbitrium quoddam supermaneat: Et alia in prætacta benigna resolutione contenta, sacris Diplomatibus absolutè caverentur; sed & aliæ ejusdem benignæ resolutionis Diplomati non repugnantia, vim novę concessionis prę se ferrēt, & Puncta eadem, quasi nullo præexistente Diplomate, precariò indulgeri videntur. Quæ æquè ac alia acceptare citra resultum à sacro Diplomate integrum minimè foret. His igitur ac aliis, præmissa Puncta benignæ resolutionis inspicienti, luculentissimè apparentibus, prægnantibus ex rationibus, dùm memorati Protestantes iisdem acquiescere nequissent, instantia ad Statum Catholicum, ut negotium Religionis, adhuc eorùm irresolutis Punctis Suæ Sacratissimæ Majestatis pro benigniori Resolutione denuò præsententur facta, eaque per Statum Catholicum non admissa, necessitati essent superindè Suam Sacratissimam Majestatem medio demissorum suorum memorialium interpellare; Interea verò Statu Catholico ad Articulorum confectionem procedente, etiam sese à communi consensu Regnicolarum tantisper, usque dum finalis Suæ Sacratissimæ Majestatis resolutio obtineri potuisset, absentare. Verùm ubi ultimaria benigna Suæ Majestatis Sacratissimæ, priorem per omnia repetens, supervenisset resolutio, toties fati Protestantes sese in Articulorum super aliis tractatibus Diætalibus edendorum confectione, exmissô è serie eorundem Religionis, tanquàm ad normam Diplomatum & Legum Regni minimè resolutô, processuros resolvissent, prout

etiam

etiam ad finalem Diætalium laborum conclusionem, præmissâ expressa cautelâ interjectâ, processissent: His tamen non curatis, Status Catholicus citra consensum eorundem protestantium, & in ruinam ipsorum, favorem autem sui, eosdem Protestantes opprimentis, etiam in negotio Religionis certos Articulos compilasset. Quô iisdem innotescente, ac tempore solitæ præsentationis Articulorum Diætalium jam jam approximante, tàm coram Excellentissimo Domino Comite Palatino, quàm Domino Personali, sese declarassent; quod Articulos in reliquis Regni negotiis conclusos, parati essent Suæ Sacratissimæ Majestati pro confirmatione humillimè præsentare, dummodò aliquis in negotio Religionis conditus iisdem non annectatur, alioquin in hujusmodi præsentationem, sibi valdè præjudiciosam & nocivam consentire non possent: Undè prærepetiti Protestantes sperassent fore, ut aliis Diætalibus tractatibus, & Articulis Suæ Sacratissimæ Majestati demissè præsentatis Religionem concernentes exmitterentur; tantum tamen abest, ut hoc fieret, quin potiùs ubi hesterna luce Generosus Dominus Valentinus Szente Vice-Palatinus (qui eotùm Domini Personalis, aliàs ob paroxismum quartanæ eadem ipsâ die recurrentem absentis munus obibat) præsentationis mentionem fecisset, ab antelatis protestantibus: num Articuli Religionem tangentes inter reliquos contineantur, quæsitus; Eosdem ne directo quidem responso dignaretur; sed dum prærepetiti Protestantes, quid in tali ancipiti rerum statu opus esset factu, animis hærerent; prædeclaratis Articulis coram Regnicolis minimè perlectis, cum tamen eosdem, ipso quô præsentarentur die perlegi antiquissimi & usitati moris esset, cum cæteris Dominis Catholicis ad Augustissimam Suæ Sacratissimæ Majestatis Aulam, Articulos præsentatum perrexit, nobis in Domo Regnicolarum anxiis relictis, præjudicio Status Evangelici valdè gravi & manifesto. Quamobrem præmentionati Protestantes, juribus suis maturè prospectum iri volentes, cum prærepetita sua solenni protestatione, hujusmodi Articulorum Religionem tangentium compilationi, confectioni, & ex post modo prævio subsecutæ præsentationi, ac iisdem etiam Articulis, tanquàm citra consensum attactorum Protestantium, confectis & subsecutis, juribus eorundem nimis præjudiciosis contradicunt protestando, & protestantur contradicendo; Declarassent se insuper, quod licet pro præsenti Templorum, cæterorumque violenter occupatorum restitutionem, aliarumque infinitarum exantlatarum injuriarum complanationem consequi non licuisset, prouti tamen innatæ Suæ Sacratissimæ Majestatis benignitati non diffiderent, quin Eadem tot præfatorum Protestantium afflictiones sit cordi sumptura, oppressisque

opem

Digitized by Google

opem benignè latura; Ita etiam futuris semper temporibus sacris Diplomatibus ac Legibus Regni inhærere, ac iisdem uti, nec in minimò ab iisdem recedere velle: Prouti protestati sunt contradicendo, & contradixerunt protestando, & sese declararunt:

Super qua quidem Protestatione & Contradictione præsentes literas nostras eidem Augustanæ & Helveticæ Confessioni addictis, jurium ipsorum futuram, uberioremque ad cautelam necessarias, sub Sigillo nostro Judiciali & Authentico apud memoratam Personalem Præsentiam Nostram Regiam, dandas duximus & concedendas, Communi suadente Justitia. Datum in prætacta Civitate nostra Soproniensi, Die ultima prædicti Mensis Decembris, Anno Domini Millesimo, Sexcentesimo, Octuagesimo Primo.

(L.S.) Lecta & extradata per me Stephanum Orbán, alte-titulatæ Suæ Sacratissimæ Cæsareæ Regiæque Majestatis Personalis Præsentiæ in Judiciis Locumtenentem & Consiliarum. mppr.

Digitized by Google